
DE
VARIIS
ANIM.
OPER.
612
L27p
R

IOANNIS IACOBI PAVISII CALABRI

IN

PATAVINO GYMNASIO PHILOSOPHIAM PUBLICE PROFITENTIS

DISCEPTATIO PERIPATETICA *de accretione*

Amplissimo, ornatissimoq; viro Iosepho Cantelmo Populi Duci dicata.

Nunc in lucem edita.

NON SINE PRIVILEGIO.

Apud Marcum Antonium Vlmum.

M. D. LVIIII.

AMPLISSIMO, ATQVE

ORNATISSIMO VIRO

IOSEPHO CANTELMO

POPVLI DVCI.

IO. IACOBVS

PAVISIVS.

INterpretatus ſum publicè hoc anno vir ampliſſime, atque ornatiſſime in Pata uino hoc Gymnaſio cele-berrimo eos Ariſtotelis li bros, qui de ortu, & inte-ritu inſcribuntur: in quorũm interpretatione illud peropportunè accide-re ſolet, vt ſingillatim de vnoquoque accretio-nis, ac decretionis genere diſputetur: difficile ſa-

nē opus, & quod diu excellentisſimos philoſo-
phos torquere potuit. Qua in re multum ſtudii,
ac laboris contuli: multa excogitaui, inueſtiga-
uique: ac nihil eorum denique prætermiſi, quæ
huius negocii eſſe arbitratus ſum: eaqúe omnia
in quendam commentariolum redigere curaui.
Quod cum poſt ea multis ſæpe rogantibus, at-
qúe efflagitantibus, concedendum eſſet: idqúe
in ſtudioſorum manus tradere, atque omnino e-
dere ſtatuiſſem, mecum ipſe cogitaui, cui potiſ-
ſimum illud dedicarem: cuius dignitate, atque
ope & commendari, & ab iis defendi poſſet, qui
aut errore aliquo inſcitiæ, aut malignitatis vitio
ducti has fortaſſe lucubrationes noſtras maledi-
ctis laceſſent. Occurriſti tu quidem ampliſsime
vir, de cuius laudibus rectius me facturum eſſe
exiſtimo: ſi nihil proferam, quam ſi aut parcius
eas attingam, aut ſi non parcè, attamen minus
ornatè: multo tamqúe plura ſunt tuæ & fortu-
næ, & virtutis ornamenta, quàm quæ breui ora-
tione, & ab eo, qui in ratione dicendi parum ex-
ercitatus ſit: dicendo conſequi posſit. Quæ qui-
dem eiuſmodi eſſe fatentur omnes, vt ea & Du-
ci ampliſſimo, & ſummo loco, atque illuſtri ge-
nere nato, qualis tu ſané es, præcipuè conuenire
intel-

intelligant. Verum vt permulta missa faciam, is certè es, qui cum litterarum, tum rerum cognitione mirificè excellis: tu enim in Philosophiæ, ac Theologiæ studiis multum, diuquè versatus, quicquid in vtrisque aut sanctum, aut mirabile existit: id tu ex intimis, abditissimisquè eorum fontibus lusisti. Ommitto quanta cum doctissimorum hominũ admiratione in poesi præstes: & proximè cum vtriusque lingua scriptoribus de laude contendas. Qui vero tui animi vigor, quæ in summis rebus tractandis prudentia, ex iis, quæ annis propè elapsis in vniuersæ Italiæ penè oculis egisti, facilè deprehendi potest. Nã cum eo tempore validissimus Gallorum exercitus, maximisquè opibus, ac viribus instructus Neapolim contendere, subiectaquè illius Regni oppida inuadere cœpisset: multa per te, & preclara consilio, manuquè peracta sunt. Qui enim tunc à Philippo Hispaniarum Rege Imperator ei bello præfectus fuerat Aluæ Dux: tui sapientia, fide, ac præstantia fretus nihil vnquam sine te confici voluit: tibiquè vni grauissimi totius belli auctoritatem detulit. Quamobrem irriti illorum omnes sanè impetus, Regnum amplissimum conseruatum, tamquè summam gloriam

conſecutus. Quæ omnia tui animi moribus iuſtitiæ, liberalitatique adiuncta cunctis te & laudandum, & admirabilem præbent. Quæ autem tua fuerint erga me, fratremque meum merita, longum eſſet commemorare. Quorum quidem cum memores ſimus, & quantopere tibi debeamus, non ignoremus, noſtri erga te animi, tuorumque erga in nos meritorum, id voluimus extare certiſsimum pignus, atque monumentũ. Qua itaque nos humanitate ſemper complexus, excipè, quæ nunc tibi dantur: atque ita excipe, vt maiora etiam de nobis in poſterum expectes. Vale. Pat. Kal. Quintilis. M. D. LVIII.

IOANNIS IACOBI PAVISII CALABRI PHILOSOPHIAE IN PATAVINO GYMNASIO PROFESSORIS Disceptatio Peripatetica de Accretione.

SVPERVACANEVM equidem esse existimaui de Aristotelis Peripateticorum principis præstantia plura scribere, qui quamtopere omnes Philosophiæ partes illustrarit, & quanto cum iudicio omnem vel inueniēdi vel iudicādi vel agēdi, vel intelligendi rationem ostenderit eius scripta, quę quamplurima sunt, egregie indicare possunt, Ac & alia permulta à sapientissimo hoc viro nobis tradita, & ea inprimis, quæ ad omnem accretionis vim atque naturam spectant, de qua & per sæpe equidem cogitaui, & valde solicitus fui, & cum multis acutis atque doctis iuuenibus qui me audiebant locutus sum, in quorum etiam gratiam hæc pauca scripsi quæ & varias aliorum quorundam sentētias explicabunt, & eorum rationes adiicient, & meam sententiam planè atque aperte explanabunt. Exordiar igitur vt plerumque fieri solet ab eius diffinitione, hocque quasi fundamentum quoddam iaciam, quod totius huius ædificii molem facile vt spero poterit sustinere.

PRIMA OPINIO DE ACCRE tionis natura. Cap. 1.

LAtinorum itaque nonnulli (vt inde exordiamur) ſub generatione accretionem contineri, tamquam ſub genere ſpetiem aſſeuerant. Atqui non ſubſtantiæ ſimpliciter generationem, ſed pluris ſubſtantiæ quàm fuerit deperdita, inquiunt: vt pote, ſi caro augẽda ſit, ſanguinem in carnem verti, mutarique neceſſum eſt. At ſi ſub maiori mole, quàm prius erat per hanc mutationem fiat: hanc, dicunt, conuerſionem accretionem eſſe. Verumtamen quoniam non vt ſeorſum exiſtens, gignitur ſubſtantia, ſed præexiſtenti copulatur, nõ abſolute generationẽ, ſed aggenerationem potius nuncupandam eſſe monent, quam rem ex multis ſuadent. Et primum omnis alimenti mutatio in viuentis ſubſtantiam generatio eſt: atqui accretionẽ alimenti verſionem in maiorem viuentis ſubſtantiam eſſe cenſetur. Nempè Philoſophus primo de ortu & interitu verę accretionis naturam ante oculos ponens, vini accretione exemplo eſt vſus. Quemadmodum enim in vino, ſic & in vera ſe habet accretione. Vino enim modica aquę moles inſperſa, in vini ſubſtantiam vertitur: & vinum ex hac ipſa mutatione augetur. Ita vera accretio in maiorem viuentis ſubſtantiam conuerſio erit: ſub ortu igitur accretio clauditur, deinde quo exiſtente, accretio eſt & quo aboleto nõ eſt accretio proculdubio eſt: at maioris ſubſtantiæ conuerſione exiſtente accretio eſt: hac deleta, deperditur, accretio maioris ſubſtantiæ viuentis ortus erit.

REFELLITVR Opinio. Cap. 2.

SEd vana eſt horum ſententia, ſi enim ortus accretio eſſet non quatuor, ſed tres mutationis ſpeties eſſent, vt generatio, & corruptio alteratio, & latio, nam accretio ortus ſpecies eſt ſecundum hos. Deinde accretio motus eſt (quẽ-

admodum quinto de Phisico auditu Philosophus docet, vbi tres motus speties enumerat, accretionē, & deccretionem, lationem atque alterationem, fieri igitur nequit ortum accretionem esse. Mox si sub generatione accretio tanquam sub genere speties clauditur, igitur in fine mutationis, atque in ipsa materia non dissentiret, sed subiecta materia, atque terminus vtriusque, vnum & idem fient, quod non videtur, quandoquidem accretionis terminus dimensio est, & subiecta materia forma substantiæ affecta est: ortus vero finis substantia, cuius subiectum materia informis est: ortus igitur accretionis genus non est statuendus, Quamuis sine ortu fieri nequeat. Nempe accretio absque alitione non fit, quæ generatio quædam est, quemadmodum postea docebimus. Et icciro mutatio illa alimenti in substantiam non est augumentatio: licet illam presupponat, & absque illa fieri non possit (quemadmodum generatio sine alteratione non fit) versio igitur alimenti via est, vt accretio fiat: veluti vini ex aqua accretio non aquæ in vini substantiam conuersio est, licet sine hac ipsa mutatione non fiat, sed maioris molis acquisitio vini accretio dicitur.

SECVNDA OPINIO DE Accretione. Cap. 3.

SVnt quoq; nonnulli alii, qui quodammodo ortum, & quodammodo non ortum accretionem esse defendunt: sed vt aperta istorum hominum sententia reddatur, erunt non nulla preaccipenda. Accretio quemadmodum primo 2 Cœli mouet Auerroes in tria significata distribuitur. Nam multorum corporum iuxta positio accretio dici consueuit. Sic enim lapidum cumulus augeri dicitur, per lapidum additionem & aqua per aquæ iuxta positionem. Sed hæc accretio non vere dicitur, deq; ea nullum sermonem instituunt. Dicitur etiam accretio maioris magnitudinis acquisitio, quæ nullius corporis accessu fit, quemad-

modum rarefactio, accretio nuncupatur: constipatio verò decretio de qua neque disputatio instituta est. Mox accretio dicitur conuersio alimenti in substantiam viuentis, ab anima vegetali per natiuum calorem producta: atque hęc mutatio vere accretio vocatur: & huius genus atque naturam quęrunt: hoc enim quoquomodo sub generatione continetur: nempe accretio hęc pro conuersione illa alimenti in viuentis substantiam accipi valet: quæ quoque alitio proprio nomine dicitur: atque ita ortus accretio dicitur: quando illius finis substantia est, & subiecta materia informis est. Rursus accretio extensio, secundum tres dimensiones, vtpote secundum longum, latum, & profundū ab anima facta, nuncupatur, atq; ita non generatio dicitur: quandoquidem fine, & subiecta materia ab ortu dissentit. Nam ipsius terminus dimensio trina est, atque subiectum, corpus. Accretio igitur ortus, & non ortus.

OPINIONIS EVERSIO. Cap. 4.

ATqui posteriorum quidam, hanc arguunt sententiam, & primo demostrare conãtur, alimenti illam mutationem, incrementum nuncupari non posse. Quippe ea mutatio nuncupanda auctio non est: in cuius ratione magnitudo non apparet. Primo enim de ortu Philosophus monet, in ratione accretionis magnitudinem apparere: conuersio vera illa alimenti cum nullam magnitudinem afferat, incrementum igitur nuncupari non potest: insuper ea mutatio nequit incrementum vocari, quæ nullas motus conditiones claudit: nam cum incrementum motus sit, motionis, conditionibus gaudebit, mutatio verò alimenti motus conditionibus vacat, non igitur est motus. Quare neque accretio, à quo enim genus & speties quoq; negatur. Deinde extensionem secundum tres diametros, incrementum vocari non posse sic ostendunt: extensioni enim tres ab Arist. augumentationi accomodatæ conditiones non conueni-

sint: non igitur incrementum dici valet: in accretione enim idem numero manet quod augetur, quęcumque etiam eius pars increscit, & cuiusdam aliunde accessu. Extensio verò quoniam viuentibus, & non viuentibus cōmunis est, eas subire leges non potest: neque tamen rationem soluunt si dicant extensionem ab anima factam, viuentibus propriam esse; quoniam à causa effectrice (quemadmodū se habet anima) motus suam secretionem non sortitur. Iam verò diminutus ac mutilus Aristoteles esset: cum huius extensionis, quando de incremento disseruit, non meminisset. Mox extensio ad qualitatem motus est, cum non sit, nisi ipsa rarefactio, quæ ad qualitatem motus est: raritas enim eius finis qualitas est: vt sęprimo Phisicorū Auerroes asserere videtur. At augumentatio, ad qualitatem motus nō est: non enim essent tres motionis species, sed duæ: igitur extensio illa esse nequit. Nonnulli verò hos defendunt: asseruntque incrementum illam alimenti mutationem nuncupari posse, quandoquidem mutatio alimenti ad incremē tum via est. Quare accretio vocari potest Aristoteles nāque 2. Phisic. generationem ideo naturam vocari asseruit: quoniam ad naturam via est, quare cum alimenti mutatio sit, ad incrementum via iurè accretio nuncupatur. Sed isti cum hos defendunt arguendi sunt: quippe non oīs via ad motum, ad quam tendit motio nuncupari potest: namque alteratio ad generationem via est, nomen tamen generationis non meretur: insuper alteratio gressus commode nuncupari posset, spirituum enim alterationem præcedere gressum, inde animalium gressu & 8. Phisicorum Philosophus docet. Quare gressus alteratio nuncupari posset, ea enim tantum via sui termini nomen meretur, quę à termino dumtaxat secundum magis & minus perfectum separatur, quemadmodum generatio se habet, à forma enim ad quam continuo tendit, secundum magis & minus separatur, cum generatio forma sit imperfecta quæ continuo ad suum tendit complementū & perfectionem: Nempe motus vt à mutatione non secernitur: atque vt de eo dispu-

1 t. 15. (margin) 8 5 (margin) 23 (margin)

ratio ab Arist. 3 Phis. fuit instituta (Auerroe. authore) & successio motui coniuncta,& forma diminuta dicit:quare cum generatio sub motione ibi considerata claudatur, eam partitionem sortitur:quare quoniam generatio forma est diminuta, quæ ad complementum tendit: iure natura nuncupatur. Atqui mutatio alimenti secundum magis & minus ab ipsa accretione non seiungitur, imo genere, igit incrementi nomen non meretur. Quare simul cum prioribus consentientes, alimenti versionem augumentationẽ nuncupari non posse dicimus. Sed quo ad secundum illis non assentimus,siquidem incrementum hoc, ipsa extensio secundum tres diametros est:namq; extensio, (quemadmodum Simpl. 4 Phis. monet, & postea nos docebimus) transitus est minoris magnitudinis ad maiorem. Incrementum verò è minori ad maiorẽ magnitudinem transitus est, extensio igitur dicitur, neque tamen omnis extensio, sed ea quæ secundum tres dimensiones fit,incrementum viuẽtibus proprium est, extensio aliqua, nullo deforis accedente interdum fit, quemadmodum rarefactio se habet. Nãq; rarefactio transitus est è minori magnitudine ad maiorem nullo extrinsecus accedente: quæ quoq; incrementum dicit atque hæc extensio augumentatio viuentibus propria nõ est. Interdum alicuius accessu fit:atque hęc ipsa cum secũdum tres mensuras ab anima vegetali fit viuentium incrementum est:atque hanc ipsam extensionem illis verbis explicare volunt, quando dicunt,viuentiũ incrementum esse, extensionem secundum tres mensuras ab anima vegetali productã. Porrò quod inde inferunt,verum nõ est, quod ab effectrice causa non pẽdeat motus: namq; ex illis causis rei ratio pendet,ex quibus quoque inesse dependet: vt se-
13 14 ptimo Diuinorum Philosophus docet quòd quemadmodum res se habet ad esse:ita ad quid, ad quod quid & difinitionem. Cum itaque motio ab effectrice causa in esse pendeat,sua igitur ratio ab illa quoq; dependebit. In rerum enim definitionibus (quemadmodum in commentariis libri Posteriorum docuimus) illæ omnes causæ appa-

rent, ex quibus res ipsæ in esse pendent: & ideo quæ quatuor causis in esse egent, earum ratio ex illis met quoque constatur. Et iccirco Philosophus in 3. Phis. cum exacte motum definit, causam motionis effectricem interposuit: asserens motionem actiui & pasiui actum esse.

23

POSTERIORVM OPINIO QVAE refellitur. Cap. 5.

CAEterum posteriorum nonnulli verum incrementum quod viuentium est: bifariam capi, posse testantur. Namque (vt eorum vtemur nominibus stricte & minus stricte: atque primum nullo modo generatio est. Nam maioris quantitatis acquisitio, quæ quantitate deforis ingrediente fit, secundum quam maioris amplioris que loci adeptio fit: (quemadmodum docere Philosophus videtur primo de ortu & interitu) Alterum & secundum incrementi significatum est pluris materiæ acquisitio, quæ re vera magnitudinem non dicit: quæ maiorem locum occupat: quare accretio solis viuentibus propria nullo modo sub ortu clauditur. Sed neque hi recte sentiunt: nam si incrementum primum dumtaxat maioris quantitatis acquisitio esset, per nouę magnitudinis aduentum, quę igitur anima vacant vere augerentur: quod ipsi non concedunt: quemadmodum ex Aristotelis exemplis patere potest: nempe vinum auget, per aquę ingressum, ergo per nouæ magnitudinis aduentum, verè ergo augeretur. Neque tamē rationem dissolunt quòd in vini incremento noua forma introducit post antiquę corruptionem: Nam demonstrabimus postea viuentium incrementum fieri non posse, absque nouę formę productione. Insuper incrementi definitio manca & defectuosa esset: cum hec particula quæ ad incrementi naturam attinet, interclusa nō sit. Mox differentiam vltimam, quæ in definitionibus solum desideratur demittunt, & communem & remotam accipiunt. Namque incrementum absolutè motus ad quantitatem non est: sed ad magnitudinem,

neque ad omnem (vt ipsi aiunt) sed trifariam dimensam.
Altera incrementi definitio se ipsam euertit. Nam (vt ipsi quoque confitentur, in ratione incrementi magnitudo apparere debet. Atqui in hac definitione magnitudinem nullam claudi testantur:ob id quòd pluris materiæ acquisitio, magnitudinem non dicit : non ergo incrementum ea acquisitio nuncupari potest. Subsidium verò quod quidam,afferre conantur, nullum est:quòd & si actu magnitudinem non includit, potentia tamen includitur: nam ita augmentum à nutritione non differret, est enim alitionis terminus, caro potentia quanta. Præterea differentia vltima,quæ rei naturam cõstituit,actu in definitione apparere debet. Cum itaque magnitudo trifariam dimensa, differentia vltima incrementi sit, ob quam accretio definitam & à reliquis motionum spetiebus secretam naturam sortitur : actu igitur in ea apparere debet. Ab Aristotele etiam dissentiunt qui primo de ortu & interitu augumentationem definiens, dicit præexistentis magnitudinis esse additamentum. Magnitudo igitur actu in ipsius definitione claudetur. Demum vt propriis Armis, quibus aduersus alios vsi sunt, ipsos arguamus. Huius incrementi finis,neque magnitudo est,neque corpus in actu, quę ad incrementi naturam desiderantur: incremettum igitur esse nequit. Etenim finis substantia est : subiecta verò materia est potestate,& non actu corpus: quinimmo hæc ipsa mutatio alitio esset : quoniam nulla alia esse videtur. Quare, incrementum stricte sumptum (vt aiunt) alitio esset: quare à prioribus quos arguebant,non dissentiunt.

QVORVNDAM POSTERIORVM opinio, illiusque euersio. Cap. 6.

ATqui nonnulli alii accretionem motum continuum quantitatis esse affirmarunt,qui quoq; a veritate discedunt nulla namq; affectio in ratione eius cuius est affectio apparere debet, nempe ex his, quæ ratione explicantur,eorum

quæ

quæ per se rei insunt, causa habetur, quemadmodum quar to de physico auditu Aristoteles monet. At continuatio motionis est affectio, ex his enim quæ ad motus naturam attinent, causatur. Quandoquidem terminorum contrarietas ad motus naturam spectat, sed vbi contrarietas est, pugna & resistentia inuenitur, quare successio quæ continua est, quoniam vnum numero est quod mouetur, terminus, & tempus interpolatum non est, si ergo ex his quę ad motionis naturã spectant motus fit continuus, affectio igitur eius est. Proprietates.n. ex rei causis insurgunt, non recte igitur in accretionis ratione ea posita est vox continua motio. Iam vero quę in ratione rei apparent, aut loco generis se habent, aut vicem subeunt differentiæ, at vox hæc cõtinuus, neutrius vicẽ gerere potest, non recte igitur in definitione posita est, non .n. genus accretionis est, propterea quod ipsi dicũt, genus proximum motum esse, mutationem vero remotum, neque loco differentię quoniam per differentiam res, ab his quæ eiusdem generis sunt, secernitur, quæ vero sub motione posita sunt, alteratio, latio, & accretio cum suo opposito. Accretio igitur per cõtinuã motionẽ secerneretur ab alteratione & latione, quare nõ omnis motio continua esset, non enim latio & alteratio motiones continuæ forent. Nõ recte ergo ab Arist. dictũ esset, motionem omnem esse continuam. Neq; obstat si dicatur, a generatione per eam vocem, accretionem separari, quoniam generatio continua non est, cum tota simul fiat, hoc enim eis non opitulatur, Nam genus est quod rẽ separat ab his quæ sub genere eodem collocata non sunt, Demum demonstrabimus, generationem quoque esse continuam, atq; in tempore fieri, non recte ergo continua motio in ratione incrementi posita est. Non minus arguendi sunt, quo ad alteram quæ in definitione est adiecta particulam, cum dicitur quãtitatis motionem continuam esse accretionem, quandoquidem quantitas non simpliciter dicitur, cum in continuam & discretam partiatur. Deinceps a definitione comunes differentiæ secludendæ sunt, & vl-

timæ atq; propriæ ponendæ. Quantitas satis cõmunis differentia est, igitur ab hac definitione remouenda, At si fortasse dicant, nomine quantitatis magnitudinem intelligere, non recte faciunt, cum quoniam ad omnem magnitudinem incrementum iuxta eos motio non est, sed ad eam quæ trifariam dimensa est, tum quia partes in definitione positæ ideo adiectæ sunt, vt rei naturam exponant, si ergo remotum genus ponitur, & per illud velint vltimam differentiam intelligere, rem quam definiunt non declarant, immo magis obscuram reddunt. Recentiores igitur non recte accretionem definiunt.

OPINIO PROPRIA DE NATVRA Accretionis in vniuersum Cap. 7.

CVm aliorum sententias reiecerimus, quid re vera accretio sit, perquirendum est. Et vt consueta Aristotelis via seruetur, quid in vniuersum incrementum sit, aperiemus primum: deinceps singulæ illius species apertæ manifesteq; fient. Quando enim disputatio de speciebus, nominis, quod vnius ad vnum, vel vnius ab vno, dicit: proposita est, priusquam prædicata singulis propria declarentur: communia explicanda sunt, deq; cõmuni natura considerandum: quemamodum in rebus singulis quæ hunc in modũ se habent, explicandis Aristoteles facere consueuit (vt Auerr. 1 Phis. etiam monet) incrementum itaq; 3 cum eorum sit, quæ ad vnum dicuntur: eius igitur natura primum: mox singulę species declarandę: (quemadmodũ Arist. primo de ortu & interitu) Non enim accretionem viuentibus propriam dumtaxat aperuit (vt omnes ferè pari consensu testantur) sed in vniuersum incrementi naturam docuit: deq; cuiusq; entis naturæ accretione disseruit: quod ex his cõstare potest. Nempe accretio vt viuentium est: est animæ vegetalis opus: Atqui actus animę ad eam scientiam spectat: quę de anima, disserit: (quemadmodum 2 libro de Anima docuit Philosophus) vbi ordinem

atq; modum procedendi præfixit: quòd prius oppositarũ rerum naturę: deinde actuum, animæque functiones: mox anima eiusque potestas declarandę sunt. Incrementũ igit, vt viuentium proprium est: in commentariis de anima: & non in his: qui de ortu & interitu, inscribuntur, explicat: deinde consuetam non seruasset methodum. Nam de incremento in vniuersum prius nõ disseruisset: sed primum de accretionis spetie fuisset disputationem aggressus: denicq; de Generatione commentarii, quomodo inter vniuersales libros connumerantur. Si igitur de viuentium incremento disseruisset: qui fieri potest, vt vniuersales existãt? namq; ideo communes vocitantur: quoniam ortus incrementiq; in vniuersum naturam explicant. Quandoquidẽ lationis natura in Commentariis de Cœlo fuit declarata: & quamuis Aristoteles viuentium incrementum esse: secundo traditionis de anima afferat: verum incrementum intendit. Nam accretio non eadem ratione de variis diuersisque incrementi modis dicitur: sed vt nomina quæ vnius ad vnum dicuntur: atque primum incrementum, in quo incremẽti natura saluatur, & cuius merito, reliqua incrementa vocitantur, viuentium peculiare est: Reliqua verô, non nisi per posterius, & quadam similitudine incrementa, vocantur. Quibus constat definitionem in posterum, assignandam, eadem ratione vniuersis incrementi modis, conuenire non posse. Etenim quemadmodum res definita se habet: eodem modo definitio sibi respondet: vt Græci vna cum Auerroi 2. de anima monent. Ratio igit explicanda Analoga erit: quare non exacta, neq; in ea permanendum: sed ad singulas spetierum incrementi rationes proficiscendum: à communi tamen incrementi ratione, ordiendum: cum ipsius notio multum ad singulares rationes inuestigandas conducat: atque ipsius genus primò inuestigabimus. Incrementum mutationem quandam esse omnibus perspicuum est. Cum id quod augetur, dum augetur, continuo aliter se habeat: incrementum igitur mutatio erit. Atqui mutationis species, ortum, & interitum,

taque motum esse definiunt:non enim ortus est incrementum. Nam quòd oritur, non est, quod verò augetur, est, non igitur accretio ortus. Quod insuper gignitur in loco non est, quod increscit in loco est. Deniq; quod gignitur ad substantiam tendit:quod verò augetur ad substantiam non tendit: fieri igitur non potest vt incrementum ortus sit,neque interitus: nam interitus ortui contrarius est: accretio generationi contraria non est. Non ergo interitus, demum interitus,è substantia in non substantiam mutatio est. incrementum ex minori ad maiorem magnitudinem transitus:nullo igitur modo interitus erit. Accretio itaq; motus erit: quare decretio motus quoque erit, contrariū enim motui motus est, & quies: Decrementum accretioni contrarium est: igitur motus:cum quies esse non possit. Etenim quod decrescit,dum decrescit continuo mutatur, & aliter se habet: At quod quiescit non mutatur: sed eodem modo se habet: decrementum igitur quies non est est igitur motus: sed motus tres esse dicuntur,latio,alteratio,incrementum,& decrementum ad magnitudinem tendunt: lationes igitur esse nequeunt, alteratio neque sunt. Etenim alteratio ad aliquam passiuarum qualitatum transitus est: ab vtraq; igitur motione incrementum decremētumq; secernuntur. Est etiam altera differentia:nam quòd alteratur,non necessario in loco mutatur: Nā dum alteratur non necessario fertur: & quamuis in phisicis dictum sit, lationem omnem alterationem præcedere, atque reliquas mutationes,hísq; nunc dicuntur,non obstat:Dicebat enim ibi, in omni mutatione lationem quandam fieri,nō omnino eius,quod alteratur,gigniturq;,sed alterius cuiusdā alterantis. Oportet enim Solem secundum lationem moueri, vt alteret aerem,qui circa nos est: nunc autem dicitur quòd non est necessarium quod alteratur,in ipso alterari locum mutare,pari rationis modo, neque quod generatur & corrumpitur, ex necessitate in locum mutatur: lac enim ex sanguine factum necessario non mutat locum, at quod augetur minuiturq; necessario locum mutat, non

non quia totum deserat locum, vt id quod fertur, sed quia alterum occupat, in quo detinebatur prius: in augumentatione maiorem, in diminutione minorem: neque tamen conuersio est, quia partes cõuersionis locum semper ęqualem & parem acquirunt. At partes eius, quod augetur in ampliorem locum extenduntur, in minorem vero eius quod decrescit. Ex quibus constare potest, quid incrementum, decrementumq́ sit: etenim incrementum transitus & motus est, è minori ad maiorem magnitudinem eius quod crescit ab illius forma productus, decretio vero à maiori ad minorem motio est: hæc accretionis ratio cõplete eius naturam declarat, quandoquidem omnes causæ ex quibus inesse dependet, habentur, nam forma quæ motus est, nempe in accidentium ratione genus formam refert vti Auerr. primo poste. & 7. & 8. meth. monuit, materia rursus quę est id quod crescit, finis quoque vt maior magnitudo, atque effectrix causa, quę eius quod augetur forma est, omnes igitur causæ habentur, & Philosophus monet quòd ex his res definiri oportet ex quibus res in esse dependet, quemadmodum 7. diuino. Arist. docet: Demum omnia habentur in hac ratione per quę à singulis mutationibus accretio separatur: neque tamen singulis incrementis & decrementis eadem ratione finitio conuenit: Nam incrementa sunt: quæ ad tres transeunt magnitudines. Quemadmodum ea, quæ viuentium sunt. Crescunt enim viuentia, secundum longum, latum, & profundum, At quędam secundum vnam dimensionem crescunt: quędam verò secundum duas. Ita & quę decrescunt, secundũ tres dimensiones non semper decrescunt: sed secundum vnam, interdum & quandoq́ secundũ duas, eiusmodi enim mutationes: quæ ad vnam, vel duas magnitudines tendunt, motiones sunt: quandoquidem ortus & interitus esse nequeunt: At cum alteratio, & latio esse non possint: Magnitudo enim harum motionum terminus est, quę reliquis motionis finis esse non potest: sub incremento igitur & decremento motiones eiusmodi, collocandæ erunt.

QVOD TRES ACCRETIONIS Species sint explicatur. Cap. 8.

NAtura incrementi & decretionis in vniuersum explicata: nunc quid vnaquęque incrementi, decrementique species sit, perquirendum est. Etenim incrementi, consimiliter & decrementi species tres esse dicuntur. Nam cum à finibus motiones multiplicētur: (vt quinto de phisico auditu docet Arist.) cum itaque incrementi termini atque fines tres esse cōspiciantur: totidem igitur incrementi decrementique species erunt: quæ verò secundum vnam, vel duas fiunt dimensiones: communi nomine extensiones vocari consueuere. Ea enim omnes ferè extendi dicuntur: quæ secundum vnam dimensionem augentur: vtpote secundū longitudinem: in altera ex necessitate diminuuntur: & quę secundum duas cum augentur secundum aliam ex necessitate decrescunt: extensio tamen omnibus incrementis communis est: cum transitus sit à minori ad maiorem molem, magnitudinemque: (quemadmodum monuimus antea) consimiliter ea augeri dicuntur, quæ secundum tres magnitudines, augentur: & decresci quę in his tribus diminuuntur, de singulis itaque his speciebus agendum erit: atque primum de conspectiori magisque manifesta. Principium enim doctrinæ semper ab eo exoriri debet, vnde quis facillime addiscere potest. Ea autem accretio euidentior, & magis cōspicua est, quæ secundū tres mensuras fit: atque eius conspecta natura accretiones cæteræ euidentiores fient, ab ea itaque iure ordiemur. At hæc non simpliciter dicitur: nam altera viuentibus tantum propria est: altera non viuentibus accomodatur. Viuentia enim & non viuentia secundum tres mensuras augeri censentur: licet ea quæ incremento passim ab omnibus ascribuntur: in eo quod viuētiū est vere sincereque saluentur: in altero autē, vt quòd non viuentium est, secundum quandam similitudinem & non vere, communicant tamen quoniam vtra-

que secundum tres mensuras fiunt.

QVID ACCRETIO VIVENTIbus accomodata est. Cap. 9.

ACcretio, itaque viuentiũ propria (vt inde ordiamur) motio viuentis est, è minori magnitudine ad maiorem trifariam dimensam, ab anima vegetali facta, per magnitudinis ingressum. Hæc enim finitio completè huius incrementi naturam manifestat: quandoquidem ab omnibus motionibus, & mutationibus, quæ ipsum non sunt, ac à reliquis incremẽtis separatur. Omnes etiam causæ ex quibus pendet, habentur, cum enim motus dicitur: ab ortu & interitu secernitur: qui motus non sunt: Genus enim ab his rem separat: quæ sub genere non clauduntur: consimiliter & forma, nam in accidentium ratione (vt docet 17 Auer. 7. & 8. diuinorum) genus à forma accipitur. At 6 in substantiarum definitionibus à substantia materia: deinde quia viuentis motus est, ab illis separatur incremẽtis: quæ & si secundum tres mensuras fiant, non tamen viuentis sunt: quod quidem recta ratione factum est. Quoniam subiecta materia in accidentium ratione loco differentię habetur (quemadmodum primo posteriorum & 30 in diuina sapientia monuit Auerrois) Cum deinde dicitur: è minori magnitudine, recte adiicitur, nam non omnis magnitudinis acquisitio incrementum est: si enim ex aqua aer genitus est, moles maior fit: & tamen magnitudinis acquisitio, non incrementum, sed aeris generatio dicitur, (quemadmodum primo de ortu docet Aristoteles) quare accretio præexistenti, magnitudinem superaddit: deinde secundum tres mensuras adiicit, vt finis, & differentia habeat: qua ab ea separatur accretione: quæ ad vnam vel ad duas mensuras fit. finis etiam. Nam cum natura viuentia sub perfectam ipsis conuenientem magnitudinem producere non possit: per incrementum quod viuit, in dimensionibus terminum sortitur: cau

ſa etiam effectrix incrementi habetur. Nam vnaquæque motio à mouente in eſſe pendet: igitur in cuiusque motionis finitione mouens apparere debet. Si quidem ex his omnibus cauſis cuiusq; rei ratio conflatur: ex quibus in eſſe pendet (vt 7. diuinorum conſtat) incrementi effectrix cauſa anima vegetalis eſt: quemadmodum Ariſt. 2. de anima docet, atque per hanc ipſam effectricem cauſam, ab his quoque ſecernitur, accretionibus: quæ minime ab animę vegetali fiunt. Omnes itaque cauſę ex quibus augumentatio pendet, ex tradita diffinitione habentur. Demum additur per magnitudinis ingreſſum: ita ſeparatur à rareſcentia, quæ licet ſecundum tres fiat menſuras, non tamen per magnitudinis ingreſſum. Ex quibus etiam, quid decretio viuentibus vniuerſis accommodata, haberi poteſt: namque ipſa, motus quoque viuentis eſt, à maiori ad minorem magnitudinem, ſecundum tres menſuras ab eadem anima productus, per magnitudinis egreſſum, quæ eodem venit exponēda modo, quo & accretionis finitio, ab anima enim vegetali vtraque motio fit, ſiquidem forma cuiuſque propria principium primum eſt, quo res operatur: Vegetalis enim poteſtas viuentium forma atq; actus eſt, ab hac enim poteſtate viuentia viuunt, vt ſatis ſecundo de anima explicatum eſt. Quare ipſa in viuentibus incrementi decrementique cauſa agens erit, quo enim viuimus dupliciter dicitur: nempe corpore & anima viuimus, ſed forma primò, ſecundò vero corpore. Anima itaq; vegetalis primum principium, quod cauſa effectrix eſt, in viuentibus accretionis & diminutionis erit: vtraque igitur motio ab eadem facultate vegetali ſuam originem trahit. Quid igitur accretio, pariter & decretio viuentium ſit, ſatis a nobis explicatum eſt. Singula nunc, ex quibus pendent: quo etiam modo in actum exeant, declarandum eſt: Ita enim incrementi & diminutionis natura conſpicua fiet.

DE

DE MATERIA OPPOSITIONIS in Accretione. Cap. 10.

ATqui, quoniam actus, functionesque animantium, ex obiectis rebus, suam notitiam trahunt: de subiecta itaq; incrementi materia: quæ oppositum seu obiecta res vocitatur? primum perquirendum erit: hanc ipsam magnitudinem habere omnes confitentur: propterea quòd, quę crescere atque decrescere solent: magnitudinem habent: quo fit vt sine dubitatione dicendum sit: accretionis materiam magnitudinem obtinere. Sed illud consideratione indiget: Vtrum id ex quo accretio fit, vt subiecta materia, potentia tantum corpus sit, atque magnitudine re vera ipsa vacet? An potius corpus actu est: sed potestate corpus non est: actu verò corporis exprs, ex quo fit, in magnitudinem mutatio. Necesse enim erit: vt ipsum, aut per se existat: & separabilem ab aliis rebus naturam habeat, aut in alio quopiam corpore sit. Sed nuetrum horum omnino fieri potest: non igitur potestate corpus, & magnitudo est, ex quo accretio fit: Si enim per se existat & actu separatum sit: nihil aliud esse poterit: nisi aut punctum, aut inane, aut corpus eiusmodi: quod sub sensum cadere non possit: sed intelligentia tantum percipiatur. Verum inane nihil esse, in Phisicis copiose demonstratum est. Punctum autem, per se non existere, perspicuum est. Quandoquidem, cum alio corpore semper punctum esse necessum est: quamuis corpus non sit: aliquid tamen corporis est. Deinde & si punctum per se existere concedamus, nihil ad magnitudinem augendam conducere potest: cum locum non occupet: nihilo maiorem molem efficiet, centum punctorum milia, quàm vnum solum. Nam ea punctorum natura est: Vt etiam si infinita coniungantur: nullam possint efficere magnitudinem, neque etiam potentia corpus est: sensum effugiens: Si enim tale corpus esset: illud ideo in loco necessario erit. Nam quod ex eo fit, atq; augetur,

alicubi semper esse cogitur: non enim fieri potest: vt id quod increscit in loco sit: nisi etiam id ex quo augetur loco. Quare necessitas cogit, vt accretionis materia, vel per se locum habeat, vel per accidens: Si per se locum habet: iam actu corpus erit, & sub sensum cadit: qualem nos accretionis materiam non esse volumus. Nam si per accidens tantum locum haberet: materia informis esset: quæ iccirco per accidens locum habere dicitur, quoniam corpus in quo ipsa est, locum semper occupat: at verò informis materia fortasse generationis subiectum est: accretionis autem esse non potest. Quòd si quis ad aliud sectionis membrum recurrat, dicatq; accretianis materiam ipsam quidem potentia tantum, non actu corpus esse: sed in alio tantum corpore esse: atque ita, vt ipsius corporis in quo est, nihil sit, neque per se, neque per accidens: multa sanè accident incommoda, foret enim in illo, quemadmodum in vase aqua, atque primum, si cum fit ex aere Aqua, non ipsa aqua transmutatur, sed aeris materia: quę in ipsa aqua tanquam in vase quodam est ad actum deducatur: quod fieri non posse perspicuum est: Etenim cum ex Aqua, aer gignitur, secundum totum aqua mutatur. Tota enim aquæ forma, atque natura corrumpitur: noua aquæ aeris speties producitur: deinde nemo vere diceret, aeris materiam ab aqua contineri: sed ipsam aquam aeris esse materiam: Idem igitur etiam de accretionis materia sentiendum est: Vt non dicamus eam in aliquo esse corpore, neque potestate tantum, sed actu esse corpus. Nam si plante verbi gratia propter aquam erescunt: nō dicemus, eius accretionis materiam, ab aqua contineri, sed ipsam aquam materiam esse: qua plantæ incrementum accipiant. Itaque longè melius est, dicere, materiam omnem, & generationis, & accretionis, ab eo in quo est separari nullo modo posse: Cum eadem sit numero materia: & illud in quo esse dicitur, neque enim aquæ materia, aliud est, quàm aqua ipsa: sed tamen alia ratione aqua dicitur, alia dicitur materia: Aqua enim dicitur: quatenus aquæ formam insese cohi-

bet. Aeris verò materia: quatenus aeris formam inducere potest. Deniq; accretionis materia dicitur, quatenus plantas alit: & in ampliorem molem educit: quæ cum ita sit. Iam planum est incrementi materiam esse corpus, non autem rem aliquam, quæ per se non possit existere, aut aliqua dimensione careat: vt puncta vel lineæ, quæ per se neque existere, neque locum occupare possunt. Vnde satis apparet inanem eorum fuisse opinionem, qui ex superficiebus, lineisq; corpora generari censuerunt. Non enim lineę, neque superficies corporum materia sunt, sed tantum materiam terminant: quẽadmodum copiose ab ipso Philosopho in tertium librum de Cœlo demonstratum est. Materia itaq; rerum, quæ fiunt, & augentur, ea est: cuius extremitates lineæ sunt, atque puncta. quæ sanè nunquam sine affectionibus atq; euentis esse potest, neq; omnino sine forma: quamuis ratione materiam à forma separemus. Nunquam tamen ipsa natura formis omnibus spoliata in rerum natura inuenitur. Quare quicquid fit, aut augetur id semper ex aliquo: quod iam actu sit, fieri atq; augeri solet. Et quamuis accretionis materiam corpus esse diximus: non tamen existimandum est corpus idem esse, quòd prima & informis materia, cum ipsi corpori prima materia subiiciatur: non quòd aliquod corpus vnum sit, omnibus commune, quod ex illa prima, atque informi materia constet: neq; enim vllum corpus est, nisi singulare. Sed materia iam informata corpus dicitur: nam si per se consideretur, vt intelligi potest, à formis omnibus segregata, nequaquam corpus dici potest. Atq; hoc modo, quatenus rebus omnibus subiicitur, eadem est & substantiæ, & quantitatis, & qualitatis, & reliquorum generum materia: quatenus verò variis formis, atque affectionibus distinguitur, longe diuersam habet rationem, quæ cum ita sit: erit quidem eadem & magnitudinis & affectionis materia: quoniam sine aliqua affectione magnitudo nulla potest existere: sed tamen ratione distincta, atque separata erit, loco vero separari magnitudinis, & affectionis materia nullo

modo potest: nisi quis forte putet, etiam formas & accidentia posse separari, atque subiecto & loco distingui, quod omni prorsus ratione caret. Ex his igitur liquido constat, accretionem ex magnitudine fieri, quæ non potestate, sed actu est: quoniam mutatio, quæ ex tali fit materia non accretio dici potest, sed generatio potius. Nam generatio fit ex eo quod actu quidem vnum est, potestate vero aliud: vt cum aer ex aqua gignitur, non quidem fit ex materia aeris, quę sit in aqua: sed ex materia quę prius aquę formam habebat: postea vero formam aeris induit. At verò accretio nihil aliud est quàm eius magnitudinis, quæ iam actu est additamentum, sicut diminutio dicitur, quando magnitudo quæ actu est decrescit. Quare quod augetur ex materia quæ actu magnitudinem habet augetur. Sed ea se his ingerit dubitatio, nam accretio hęc, absq; nutritione fieri non potest, quæ generatio quædam esse censetur: at huius materia actu corpus non est, sed potestate: igitur accretionis materia non actu corpus, sed potestate erit. Sed diluitur, nam materia quæ nunc inquiritur, oppositionis materia est, quę eadem numero est, alitioni atque accretioni, Cibus enim (inquit Philosophus) vt potentia caro nutrit. Sed vt potentia quantum auget, vna igitur atque eadem est materia oppositionis, alitioni atque incremento. At ea, quæ rei pars fit, diuersa est: Namque materia informis est, quæ nutritioni deseruit, siquidem quæ prius alimenti formam possidebat, viuentis formam suscipiens, illius pars efficitur, atque accretioni suppeditat, Corpus actu est, prius enim in membrum alimentum conuertitur, mox secundum tres mensuras extenditur: actu igitur corpus est, atque magnitudinem habet materia incrementi, quæ eius quod augetur pars fit, atque extensionem suscipit. Apertum igitur est accretionis materiam corpus & magnitudinem esse, quæ iam actu existit. Inuestigandum nunc est quæ sit incrementi effectrix causa: deinde quomodo accretio fiat.

DE CAVSA EFFECTRICE ACCRE- tionis Cap. 11.

POtestas enim hæc, quæ in viuentibus incrementum operatur, quæ auctrix vis quoque dicitur quę ex viuentis corporis alimento conuerso, natiuo calore ipsius magnitudinem auget: vt ad pręfixum definitumq́; perueniet finem & præstantiores exerceat actiones. Nam cum à genetrice facultate viuens perfectum non vsquequaq́; aut in debita magnitudine constitutũ prodierit, hęc ei increscendi vis à solertissima natura concessa est, vt sui perfectionem sigilatim omnia consequatur. Magnitudo enim viuentium operationibus perficiendis plurimum oportuna est, cum interdum (bona membri temperatura manente) si debita magnitudo defuerit non exacte prodeant actus: quod si in homine animantium omnium præstantissimo reperiatur facilius in cæteris viuentibus reperiendum est, neque tamen infinitam molem, sed certam definitamq́; viuentia ab huiusmodi potestate adipiscuntur: Etenim viuentium omnium terminus pręscriptus est, atque definitus, quem viuentium nullum transgredi potest. Propria enim causa rei forma, proprium magnitudinis terminum rei, perscribit secundum magnum & paruum, vltra quem forma conseruari non potest, neque quippiam operari, siquidem ampla & exigua viuentium magnitudo perscripta est. In qua cum potestas saluetur suos actus perficere potest. Et iccirco magnitudinem formam definire 8. de phisico auditu Auer. testatur, vt per illam deinde suas functiones perficere valeat. Viuentibus igitur pro suis actionibus perficiendis magnitudo hęc valde necessaria fuit. Sed ea dubitatio solutionem quærit: Cur genetrix vix, viuentia in debita magnitudine non generarit. Sed dubitatio hæc solui potest, atque rei huius varia diuersaq́; causa assignari potest, atque prima ipsa est materia quæ cum modicæ magnitudinis fuerit, veluti stirpium semina: proinde maiora procreari nō possunt: cui etiam in animalibus vte

rum gestantibus, loci angustia respondet. Est etiam causa ex fine sumpta, nam ideo ita se habent, vt postquam orta fuerint, diutius vitam conducant. Porrò si in debita magnitudine constituta forent, ad finem vitæ citius deuenirent: nam cum viribus auctis exoriantur imbecilliores assiduè fierent: quare citius vitam finirent. Demum causa est, quoniam vnquã ab extremo vno, ad alterum, absque intermedio, transitum natura facere noluit: quamobrem genita cum nunquam antea fuerint, perfecta esse non docuit: sed pedetentim ab origine vires, & perfectionem assumere, vt definitum finem denique attingant. Pari ratio nis modo, & quæ ex putri oriuntur materia, licet semina non habeant, definitum magnitudinis terminum cum primum exoriuntur, non sortiuntur: Nam ob materiæ defectũ cui vires proportionari debent, imperfectæ enim magnitudinis materiam obtinent, atq; vt diutius viuere possint: & denique ne ab extremo vno ad alterum sine interstitio transitus fiat: primum ab ortu suum cõplementum non suscipiunt.

AVGENDI POTESTAS NON ELEMENTORUM VIS EST, SED VEGETALIS ANIMÆ Cap. 12.

QVum itaque matèria & augendi facultatis necessitas à nobis aperta sint: cuius potestas est, an animę, an alterius formæ inuestigandum est. Atqui hac in re altercantur Philosophi: Empedocles, quemadmodum 2. traditionis de anima, refert Aristo. igni, & terræ, augendi potestatem tribuit: dicebat enim augeri plantam igne & terra; radices enim per terram, quę deorsum mouetur, igne verò qui sursum fertur, ramos qui sursum sunt, accretionis igitur causam igni, & terrę ascribebat, augendi quare potestas ignis & terrę vis erat: quę viuentibus incrementum suppeditabat, Sed multifariam multisq; modis ab Aristotele increpatur Empedocles: atque primo quod non recte dicat inferius, atque deorsum radices esse, non enim idem in

vniuerso & in ipsis viuentibus sursum & deorsum sunt. In plantis enim quod sursum dicitur, deorsum est: & quod deorsum sursum in illis est: Siquidem instrumenta operibus diiudicantur. Si enim actum gratia sunt instrumẽta, quæ igitur easdem actiones agunt eadem fuerint, quemadmodum in aliis viuentibus, id quo nutriuntur, est os, sic ergo & plantis id per quod nutriuntur os erit: nutriuntur autem per radices: ipse ergo plantarum os habentur: aliorum autem omnium viuentium os, per quod nutriuntur sursum est. Omnium enim caput, in quo os superiorem locum obtinet, & plantarum quoque os, & caput sursum quoque erit. Quare plantarum radices sursum potius: rami verò deorsum dicere oportet: quamuis enim si ad vniuersum conferantur plantæ, radices deorsum, rami sursum esse dicantur: vniuerso enim sursum & deorsum sunt nam quod circum circa est, vtpote Cœlum, sursum est, quod autem medium deorsum: At in viuentibus, quæ vitam mortalem degunt, vnum principium incremẽti est sursum dicitur, quemadmodum in commentariis de cœlo demonstratum est. Demum quonam pacto non diuelluntur, inter se quod sursum fert, & quod deorsum, propter quam namq; causam non relinquunt plantam, cum ignis quidem ad id quod sursum, terra autem ad radices tendat, aut si aliquid est quod contineat, cohibeatq; ne diuellantur, quod sursum & deorsum tendunt, id anima erit: omnis namq; forma vim cohibendi habet, vt id iuxta quod. Anima igitur non solum tanquam forma viuentium causa est, sed & tanquam ea, quæ efficiendi vim habent. Cæterum alii ignis formam suspicabantur, solum auctionis esse causam, qui neque recte dicunt: Etenim ignis simpliciter incrementi causa esse nequit: concausa enim ignis est & accretionis instrumentum, vegetalis enim anima igne vtitur, cum augendi actum perficit, quemadmodum postea docebimus. Ignis enim si suæ naturæ demictatur, vitæ causa non est, sed exitii, corruptionisq; causa: veluti si ab artifice quæ cõcoquẽda sunt, igni demictantur, ea cor-

rumpit, in propriamq́ vertit naturam: mensuram itaque concoquendi ab artificis ratione, ignis; quare instrumentum potius, & non simpliciter causa ignis est. Demum ignis reliquaq́ in viuentibus existentia elementa, materię potius vicem subeunt, quam formę, & agentis, magnitudinis igitur terminum, ab igne viuentia suscipere nequeunt, materia namque non finis, sed infinitatis, causa potius est (quemadmodum 3. Phis. cum de infinito differit, monuit Arist. Viuentium verò, omnium magnitudinis, & accretionis terminus definitus est: qui à forma & non à materia habetur: anime igitur: quę forma viuentium est, & non ignis naturę, accretionis causa largienda est. Potestas igitur auctrix animę vegetalis, atque ipsa met vegetalis anima erit, vnius enim cuiusq́ forma principium primū operandi est in eo, cuius est forma, vegetalis itaque anima cum viuentium forma sit, ipsis igitur, principium primum increscendi erit. Apertum itaque est accretionis viuentium effectricem causam augendi facultatem esse: quę animę vegetalis potestas est: immo ipsam met vegetalis anima. Si pidem potestas animę ab ipsa anima substantia non secernitur, sed ratione tantum, quatenus enim viuentium forma actus & ἐντελέχεια dicitur, anima: Sed quatenus illi operandi principium est facultas, & potestas, quemadmodum in dispotationibus de Anima sentiente à nobis demonstratum est.

QVOMODO ACCRETIO FIAT Explicatur. Cap. 14.

HActenus de augendi facultate disseruimus, nunc quomodo accretio hęc fiat, perquirere iuuat. Vniuersa itaque viuentia, cum augentur, aliquo extra adueniente augeri omnes confitentur, quod alimentum nuncupant, ipsumq́ est: quod accretionis opposita materia nuncupatur: quod & actu corpus, atque magnitudinem, quę actu existit, claudere retro docuimus, ex deforis enim adueniente ali-

mento

mento, omnia quæ vitam participant, crescunt. Sed an simplex, an commixtum corpus, aperiendum primum est: Sed cum quinque naturalia corpora à Philosophis numerentur, Cœlum, elementa quatuor, animalia, plantæ, & metallica, quæ ex ipsis elementis conflata sunt, primum Cœlum ab hoc corpore ordine secluditur: ipsum enim cum æternum corpus sit, & nullam in substantia mutationem pati possit, viuentium alimentum esse non potest. Mutatur enim alimentum, & priorem deperdit naturam, & quæ viuentiis est, suscipit. Præterea elementa omnia quoniam simplicia corpora sunt, alendi, atq; crescendi beneficium viuentium præstare non possunt. Nam si quæ aluntur simplicia non sunt, neq; igitur id quod alit, simplex esse potest: in viuentibus enim eadem est generationis, incrementi, atque alitionis materia, (quemadmodum 2. de animalium generatione docuit Philosophus) materia autem quæ animalis generationi suppeditat, commixta est: quare accretionis atque alitionis materia in hunc modum se habebit. Iam verò alimentum à natura institutum fuit, vt materia animalis ab innato calore resoluta, reparari posit: quæ cum commixta sit, non nisi ex commixto alimento reparari potest. Deinde in vniuersa alitione, quæ coctione completur, superfluitates, atq; excrementa fiunt: igitur quod nutrit, commixtũm est, & non simplex: id quod consequitur ex Aristotele, probatur, qui quarto meteor. vbi coctionis naturam docet, voluit in omni coctione, excrementa secerni; in ventriculo namq; feces secernuntur, quæ ad intestina trasmittuntur: consimiliter in iecinore excernitur aquositas, quę ad vesicam per venas emulgentes deducitur: in venis etiam sudor, in stirpibus etiam excrementa apparent: Sed extrinsecus quemadmodum Alexander docet in libro de sensu, & sensili. In his enim gummi stillantes, cineritium iuxta radices, muscus, atque lanugo in cortice, quinimmo & fructus eorũ excrementa, atq; superfluitates existunt: Atque causa est: quoniam non nullę alimenti partes quæ a calore naturali viuen

tis pati nequeunt: quare neque coqui, & in viuentis substantiam conuerti: quibus itaq; constat, alimentum, nõ simplex, sed commixtum fore. Et iccirn conuertuntur hæc quòd ex his nutrimur ex quibus sumus: & quòd ex quibus sumus, ex his nutrimur, atque hac ipsa ratione Philosophus vtitur in commentariis de Generatione atq; de sensu & sensili: sed de hac re in disputationibus de anima sentiente, cum de odorandi potestate disseruimus, verba fecimus. Constat itaq; alimentum conmixtum esse, quemadmodum viuentia, quæ enutriuntur. Atqui non omne commixtum corpus enutrit, sed illud quod ei, quod nutritur, augeturque contrarium est. In substantiis siquidem, quamuis merito subiectæ materiæ nulla sit contrarietas, ob formam autem complures ad inuicem contrariantur substantiæ: quemadmodum postea docebimus: quę enim substantiæ formæ se in eodem subiecto compati non possunt. Contrarie sunt, quare illud commixtum corpus viuentium alimentum est: quod ipsi contrarium est: hoc est cuius propria forma cum ea quæ viuentis est, simul stare non valet, potestate enim est alimentum quod alitur. Quare si alimenti substantia materia potens est, vt in viuentis formam vertatur, Vtriusq; formæ dubio procul contrariæ erunt: sunt enim contraria: quæ ex eodem se mutuo expellunt subiecto. Nutrimentum denique mutatur: at omnis mutatio è contratio in contrarium fit: Contrarium igitur ei, in quod mutatur, vt pote viuenti erit. Verum non omne commixtum corpus, quod contrarium est, alendi beneficium viuentibus præstare potest: Sed quòd cum in viuentis naturam mutari valeat, illud maius reddere potest. Incrementum enim pręexistenti magnitudini additamentum est: neque quodcunq; quod secundum quantitatem auget alimentum suo contrario est. sed quod ex contrariis, formæ magis particips est, quod increscit, à magis materialis & contrarii in ipsum mutatione nutriri diditur, non itidem autem, & quod est, materialius, ab eo quod est magis formale, sic enim se habeat, interse ignis

& aqua: his enim sic inuicem mutatis aqua ignis est nu-
trimentum, sed aquæ ignis minime alimentum dicitur, ne
mo enim dixerit, aquam igne nutriri, at ignis a qua nutri
ri dicitur: etenim oleum, aqua aliquo modo affectum &
cera, & huiusmodi, & ligna quoque & similia, quod ali-
quid humiditatis habent, materia sic ignis fiunt, atq; ideo
omnia exiccata ligna, vt quę putrefacta sunt vel in cine-
rem reducta, ne vti quidem possunt: eo quòd sint vndique
humiditatis expertia, quod enim augetur, secundum for
mam augetur: atque illa est, quæ incrementum perficit:
alimentum autem cum concoquatur, atq; mutetur: ma-
teriæ igitur particeps, magisq; formę esse oportet. Quarê
commixtorum corporum contraria, quæ magnitudinem
cum superaddunt, magis pati, quàm agere sunt parata,
ab his que augentur, atq; nutriuntur, viuentium alimen-
tum esse possunt, in elementis vero, quoniam ignis magis
actiuus cęteris est, formæ assimilatur: & iccirco aliorum
simplicium corporum ipsum alimentum esse non consue-
uimus dicere. Quibus illud etiam apertum fit, quod nu-
tritur, quodammodo à contrario, & à simili, nutriri & au-
geri: in principio enim contrarium alimentum ei quod
augetur, inconcoctum ipsum tunc est: sed cum mutatum
est: quoniam à contrario in contrerium mutatio fit: simi
le redditum est. Concoctum igitur alimentum simile est:
cum igitur à simili, tum à dissimili viuentia nutriuntur.
Quare ex his deduci potest, alimentum viuentium conue
niens, illud esse, quod ei quod alitur potentia simile est: in
idq; potentia consimile dicitur, quod in alentis substan-
tiam mutari potest, atque pluribus agentibus: vt inde ad
actum deducatur, non eget: ab vno enim natiuo calore
quæ assumuntur, alimenta in viuentibus substãtiam com
mutatur, iccirco non omne commixtum corpus, enutrire
est aptum, quę enim species terrę esse censetur, & coagula-
tę aquę formam obtinent: quẽadmodum lapides, qui ter-
rę species esse dicuntur, & metallica, q̃ ex coagulata aqua
constant, viuentia non enutriunt. Hęc enim vno conco-

ctionis motu, in viuentia commutari non possunt. Atque in vniuersum tres causę traduntur. Et prima est, eorum ad simplicia corpora, elementa vocata affinitas, in quibus terrę vel aquę dominantur qualitates: quemadmodum in ipsis simplicibus, quę cum viuentia non nutriant, neq; igitur hęc: quę eis consimillima sunt. Similitudo enim atque ad prima corpora affinitas eorum mutatio ostendit: de facili enim ad elementa commutari possunt, elementaq; ipsa in hęc. Secunda causa est, quoniam hęc mutari non possunt, nisi soluerentur: at cum à contrario dissolutio fiat, à calore vero innato, à quo viuentium omnium dissolutio fit, solui non possunt: calor enim innatus humido semper commixtus est. Atqui metalla si solui deberent, ab exuperanti calido sic eoq; commixto soluuntur: quomodo natiuus calor non se habet, lapides omnino non soluuntur, sed aduruntur, & in calcem conuertuntur ob humidi exhalationem. Postrema verò causa, quoniam ex his commiscetur quę viuentium complexioni contraria sunt: hęc igitur alendi beneficium viuētibus præstare non possunt. Si autem quædam animalia lapides deglutire censeantur, quemadmodum strutio, nonnullæq; aliæ aues, omni proculdubio ex illis nullum suscipiunt nutrimētum: sed hos ipsos lapides incoctos emictunt. Cęterum reliqua cōmixta corpora, quę has sunt sortita conditiones, viuentia enutrire valent: verum eorum quędam magis, quędam verò minus eaq; plus alere censentur, quornm humidum naturale de facili in naturam, eius quod nutritur conuerti valet. At quorum humidum, à terra minus separabile est, minus enutriunt: & iccirco quęcunque exiguam habent humiditatem, minus enutriunt: quemadmodum ossa & pili. At ossa plusquam pili nutriunt: pili enim sunt velut exiccatus fumus, humidumq; eius valde exiguum est: & ideo nullum omnino animal pennis & pilis enutriri potest, sed potius quæcnnque hæc ipsa, pro alimento animalis suscipiunt, aut hæc euomunt, aut indigesta emictunt. Quare vt paucis rem absoluamus: quanto alimentum ei

quod aliter similius est, tãto effieacius nutrit, citiusq; in viuentis mutatur substantiam: quemadmodum ex eorum, quæ aluntur desiderio constare potest: vnumquodq; enim viuens alimentum, propriç temperaturæ simillimum expetit: quæ enim animalia atra bili sunt affecta, sicca atque adusta alimenta, & quæ non nihil amaritudinis habent, sicut fortiter assa, desiderant. At quæ sanguineam temperaturam obtinent, quæ temperatæ calida & humida sunt, sicut carnes leues & tremantia oua, vinum rubeum, & panem album frumenti: quemadmodum Medici testantur, excupiunt. Quæ vero flegmate abundant, frigida & humida nutrimenta conquirunt: quemadmodum pisces, & huiusmodi generis reliqua. Atque causa est, quoniam in symbolum habentibus facilior est transitus: nam, & si in principio alimentum sit dissimile: non tamen omnino dissimile. Quarè quanto similius extiterit, tanto conuenientius alimentum fiet: & ideo fructus non bene hominem enutriunt: eo quòd est in eis terræ vis: atq; elongati sunt, ab hominum temperie, & iccirco ex eis alimentum genitum putrescit. Ob quam etiam causam, stirpibus fimus conueniens alimentum est: cum ferè eiusdem commixtionis cum plantis fimus sit: est enim quasi terra reliquis elementis commixta, omnes enim plantarum vires, à cõmixta terra ortum suum trahunt: hæc tamẽ his quæ enutriuntur, simillima alimenta inter se differentiam habent: quandoquidem aliqua magis: quædam vero minus simillima sunt. Nam cum alimentum, humidum, aereo, aqueo commixtum, subtili terreo terminatum obtineat: Aqueum.n. tantum humidum, neque nutrit, neque auget, sed humectat tantum: sed quod aereum dumtaxat est incorporari nequit: alimentum enim concoqui oportet, sed quod concoquitur, crassescit, vt quarto meteororum Philosophus docet, aer & aqua crassescere nequeunt: sed cum magis in calescunt dissoluuntur: vtrunque igitur simul commixtum esse oportet, quod per aridum, atque subtile terreum, terminatum sit: taliter enim cõmixta optimi saporis sunt,

atque dulcisſima. Propter quod etiam indigeſta & muſtum & fructus euaporant, primum, vt vaporoſum, & aereum humidum cum humido aquæ commiſceatur, & ex eis vnus reſultat ſapor. Quare cum vario ſint elementa, ex his commixta modo, differentiam inter ſe habent, de quibus ſigillatim periti Medici diſputant, nobis autem ſat erit, in vniuerſum alimenti naturam explicaſſe.

DVBITATIONES NONNVLLAE excitantur. Cap. 14.

EX quali itaque alimento deforis accedēte accretio fiat, explicatum ſatis à nobis eſt, at nunc quo pacto res ex illo augeatur, inquirendum eſt. Ex alimento enim quod corpus eſt viuens augeri non videtur: nam ſtatim abſurdum ſequeretur, vt in eodem loco duo corpora reperiantur, nempe quod augetur, & id quod auget, quin etiam cum cum vnaquæque pars augeatur, neceſſe etiam videtur, vt corpus id quod auget omnes corporis aucti partes penetret, at hoc etiam abſurdum eſt. Neque enim corpora ſe mutuo penetrare poſſunt. Neque enim dici poteſt accretionem, atque diminutionem eo modo fieri quo aqua in aerem conuertitur: ſtatim enim maior apparet moles ac magnitudo. Sed hæc nequaquam accretio dici poteſt verum potius generatio, quid enim in hac mutatione auctū eſt, aer ne an aqua? atqui prius aer non erat, at aliquo abſumpto maior fieret. Verum neque aqua aucta eſt, cum penitus corrupta ſit: neque igitur aeris neque aquæ accretio eſt, quare neque omnino accretio, ſed vt dixi generatio. Quod ſi quis aliquam in hac mutatione accretionem factam eſſe affirmet, cum aqua neque ſit aucta, neque aer, ſed illa corrupta ſit, hic vero genitus aliquod commune ambobus corpus auctum, vt dicat neceſſe eſt. Sed fieri hoc nullo modo poteſt, nam in accretione atque diminutione ſeruantur partes rei quę augetur, & diminuitur. Cum autem aqua in aerem conuertitur nihil integrum manet, ſed

tota substantia mutatur, & aliud ex alio rarius ex densiori & maius ex minori nascitur. Si vero dicat aliquis, corpus ambobus commune genus est permanere, sanè ridiculum erit, quoniam genus neque generatur neque interit, neque omnino in rebus existit, sed in intelligentia solum. Quod autem generatur vt singulare sit necesse est, similiter etiam quod augetur. Demum tria sunt quæ in accretione esse debent, vt postea docebimus, primum vt quælibet pars eius quod augetur maior fiat, vt si caro augeatur quælibet pars eius carnis maior fieri debeat. Alterum vt aliquo accedente atque adiuncto res augeatur. Tertium vt quod augetur seruetur atque permaneat, hæc autem in generatione non accidunt: cum enim aliquid gignitur, aut interit, nihil omnino remanet ex eo quod prius fuerat præter materiam, quæ tamen ipsa quodammodo mutatur, quoniam alterius fit rationis, cum autem aliquid alteratur, vel augetur, vel diminuitur permanet res quę subiecta, aucta aut alterata est, sed in hoc differunt, quoniam in alteratione tantum qualitas variatur, in augmentatione plerunque tamen magnitudo, nonnunquam etiam qualitas. sed eadem substantia semper manet, quod si aquę in aerem mutatio esset accretio contingeret, vt nulla re accedente fieret accretio, atque eodem modo nulla re discedente fieret diminutio, neque id quod augetur permaneret. Aquæ igitur mutatio in aerem non est accretio, quare si res quæ augetur non ita augetur, aut igitur enumerata absurda contingerent, aut quod nulla re accedente, quæ quidem corpus sit, accretio fieret, quod quidem in accretione saluari oportet.

DE NVTRITIONE.
Cap. 15.

SEd has è medio dubitationes tollere non erit perdifficile, si modum quo viuentium incrementũ fit adiiciemus. vniuersa itaque viuentia increscere non possunt, nisi nu-

triantur prius. Maiorem enim molem non adipiſcuntur, niſi prius accedens alimentum, eius quod augetur pars fiat, quod nutritione completur, atque perficitur. Viuentium igitur incrementum ab alitione non ſeparatur, quare quo valeat alitio fieri modo explicandum eſt. Porro vt hæc perficiatur actio multa adeſſe neceſſe eſt, nempe agens ſumme neceſſarium eſt, quoniam nulla mutatio ſine agente fieri poteſt, nutritio mutatio quædam eſt, agente igitur eget, conſimiliter materia oppoſitionis, quam agens continuo præparat, facitq; vt poſt prioris formæ interitum cõſimilem ſibi ſuſcipiat. Eſt vero agens, altrix poteſtas, quę ab augendi facultate natura, & ſubſtantia non differt: vniuerſam enim poteſtatum animę ſecretionem ex oppoſitis rebus petendam eſſe Ariſtoteles in commẽtariis de anima monet. Porro cum vtriuſque facultatis obiecta res vna exiſtat: alimentum enim alenti atque augenti facultati obiicitur, ratione tantum diuerſum: alimenti enim ſuccus quatenus potentia eſt, vt in viuentis ſubſtantiam commutetur, atque eius quod alitur ſubſtantiam ſeruat, nutritiue obiicitur, ſed quatenus magnitudinem auget, ei quod nutritur creſcendi poteſtati deſeruit, quare oppoſita res vna eſt, ſed ratione altera, quemadmodum ſecundo de anima his verbis Philoſophus docet. Eſt autem eſſe aliud alimenti & augmentatiui: ſecundum enim quòd quantum quoddam eſt augmẽtatiuum, ſecundum vero quòd hoc aliquid ac ſubſtantia alimentum: Saluat enim ſubſtantiam eouſq; eſt, quouſq; aliter. quod primo de ortu & interitu eſt confirmatum. Secundum id igitur quod potentia vtrunque eſt verbi gratia quanta caro, ſic auget, etenim quantum oportet generari & carnem. Secundum autem quòd caro ſolum eſt nutrit, etenim ſic differunt cibus & augmẽtatio ratione, quare hunc in modum poteſtates ſe habent, nempe vna erit re augendi & alendi poteſtas, ratione altera. Nam vt ex alimenti ſucco eius quod nutritur conſeruat ſubſtantiam, altrix, ſed quatenus magnitudinem præexiſtenti, augendi poteſtas: veluti ſecundo traditionis de ani

ma

ma docuit Aristoteles, quoniam omnino, inquit, eadem potentia animę est vegetatiua & generatiua de alimento necessarium est determinare. Potestas enim animæ ipsamet anima est, ratione ab ea tantum secreta: nam vt corpori confertur, forma hæc, anima dicitur, atque primus actus. Quando autem functionibus suis confertur, potestas, & ideo dicitur quo habens ipsam vitę actiones explet quare vt agentis rationem subest anima, potestas nuncupatur: vt vero viuentis corporis forma est, anima, quod ex Aristotele planum fieri potest, qui secundo de anima docet, animata trifariam viuentis corporis esse causam, atque forma dicitur, vt viuentibus esse largitur, cuius gratia, quoniam organicum corpus ob ipsam animã factum est, agens vero vt vitæ actus in ipso producit, quare cum animæ potestas agentis rationem subeat: vna igitur met anima numero potestas erit, atque forma, ratione vero diuersa, nam vt functiones explet potestas, vt vero corpori confertur anima & forma: quare erit in singulari viuenti vna met numero nutritiua & augmẽtatiua potestas, rationes vero plures, nam vt vario modo circa alimẽtum operatur, ratione plures euadit. Hæ igitur animæ vegetalis potestates simpliciter multiformes nõ sunt, sed ratione, 20 quam rem Au. septimo phisicorum docet, vbi dubium soluens, cur ad animæ potentiam Aristoteles motum non esse demonstrare subticuit, soluit, auctore etiam Alexandro quoniam quinto de phisico auditu demonstratum est ad substantiam non esse motum, quare animæ vires substantiam esse solutio monet, & quinto diuinorum alterum sol 19 uens dubium, cur enumerans qualitatis significata Philosophus non meminit. potentiæ & impotentię naturalis, dicit causam esse, quoniam naturalis potentia per se substantia est, ex accidenti vero qualitas, verum de his satis abunde in his quas conscripsimus disputationibus de anima sentiente, disseruimus. Potestas itaque auctris & altrix vna numero sunt, sed ratione plures, & iccirco cum hæc ipsa potestas magnitudinem amplius adiicere non potest, vlte

rius auctrix non vocatur: ratio enim ob quam ita vocita tur actu aboleto deperditur, verum cum hæc ipsa facultas earum sit quę instrumentariæ atque organicæ vocantur: alēdi igitur beneficium per certas corporis particulas præ stabit: in his enim viuentis partibus, alimentum oppositionis materia continuo mutatur, quo vsque complementum ab alente virtute suscipiat, quare quid alendi vis quę instrumentarię sint partes, quo etiam modo alitio perficiatur, & denique quid nutricatio ipsa sit explicandum à nobis erit: his enim perspectis cuius quæritur perspicua natura erit.

VIRES QVAE ALTRICI DESERVIVNT quæ & quot sint, explicantur. Cap. 16.

CVm primum fetus (vt inde ordiamur) animę particeps gignitur, ipsum viuere necesse est: sed vita diutius permanere non potest, nisi viuens alimentum suscipiat, humoris enim non reparati consumptione cito decederet: innatus enim calor continuo humidum illius pabulum resoluit, quod nisi accedente alimēto resarciatur, vita diu tius permanere non posset: quare vt diu pro viribus maneat, atque perduret, altricem natura ei facultatem iniunxit, quę vitam à primordiis inde assidue comitatur, cui seruiat ac veluti singulare præsidium opituletur: Et proinde natura sagax alimentum quoque concessit, quod cum primum fetus atque viuens in lucem prodit, atque ex eo nutritur, quippe formatis fetus in vtero membris, tunc instrumenti cuiusdam alimentitii vocati formatio prodit. vnde ab vtero quod intraneum iecur sanguineus deducitur humor, adeo vt quam primum vixerit tam primum alatur. Cum demum vtero egreditur, etiā vt perspicuum est, alimento eget, vt illud instauretur, quod ab innato calido dissolutum fuit, quare altrix potestas animæ vegetatiuæ facultas est, qua viuens alimentum in eius quod alitur substantiam mutat, atque alimentum tale fit ab al-

trice anima, quæ extrinsecus ad motum alimentum per concoctionem immutat, atq; illud corpori adiudicat cuius forma & potestas est. Calidum autem altrici animę ad eiusmodi functiones & immutationes sese instrumentum exhibet, quo factum est, vt hoc ipsum esse quod alat, existimauerint quidam, qui agentis principii virtutem in id quo intercedente virtus agit, trastulerunt cum caliditatis vi abdicata nihil ali posse conspicerent, namq; calidum vim motricem habet. Sed calidum principium mouēs non esse sed animę instrumentum retro monuimus: cum omnes functiones anima operatur per calidum, igitur instrumentum sed ad has functiones perficiēdas plurium virium deseruiunt actiones, qua de causa altrici subministrare dicuntur, quas Auicenna subministrantes appellat., quę quot sint earum quę sit natura, ex actionibus tanquam ex notioribus inuestigari possunt. Alimentum ergo quod in sanguinem vertendum est, ore primum assumitur, deinde trahitur in ventrem, mox retinetur. Non enim statim mutari potest, posthac vero digeritur, postremoq; quod digeri nequit tanquam inutile expellitur, sicq; tota in corpore completur alitio. Quare cum quatuor inuicem fuerint actiones, natura seiunctę, quę alitioni deseruiunt, totidem correspondebunt vires, quæ altrici potestati ministrant, trahens igitur prima erit, secunda quæ retinet, deinde digerens, & vltimo loco quæ excrementa reiicit, & expellit. Auerr. collectionum libro secundo, quintam superaddidit, quam Auicennam & Galenum ignorasse affirmat., & hanc discretiuam nuncupat, enimuero facta sanguinis concoctione, vt membro conueniens alimētum accedat, prius quod profiguum est, a contrario actu separetur oportet, vt membra omnia sigillatim conueniēs suscipiant alimentum. Id vero trahens efficere nequit, expellens etiam minus, nihil enim nisi prius discretione facta expellitur, quæ vero digerit aut retinet, minime cū huius munus nil aliud sit, quam materiam in alienam substantiam pro alimento commutare: illi vero tantummodo retinere conueniat,

Quarta igitur danda erit vis, quæ discretiua vocatur altri ci deseruiens: Atque posteriores Medici trahenti hoc munus ascribunt: hæc enim attrahit & alimentum discernit, alii vero digerenti pariter & expelleti cuiusmodi functionem competere dicunt: hæc enim nihil emittere, aut expellere visa est, quod sit membro proficuum, ideo quatuor tantum numero fuisse concludunt, verum an ita an secus potius se habeat res Medicis dimittatur, inuestigandum. Sed quia prima altrici deseruiēs vis trahens est, ideo quid ea sit adiiciemus primum, est vero hæc quæ alimentum profiguum attrahit, proq; munere hoc efficiendo calore siccitateq; pro vnius instrumenti natura anima nutritiua vtitur: atq; munus hoc perficit & complet per quosdam uillos in longum protensos: prima autem alimenti attra ctio in animali à ventre procedit, cum ille primus sit, qui alimentum digerendum suscipit, ex quo villi in longum protensi vsque ad guttur, & linguæ radicem deueniunt, & à dentibus contritum cibum statim propria actione suscipiunt, & susceptum demittunt cuius clarum illud extat inditium. Si quid enim gustui noxium imponatur, guttur arctatur, venter obstupescit, & leditur, adeo vt plerunque ad vomitum prouocetur, huic ventris attractioni iecoris attractio succedit, commutatum in chilum alimentum in uentre à iecinore trahitur, deinde cordis succedit tractio, postrema in singulis membris habetur, cum quodlibet alimentum sibi conueniens attrahat, ut nutritio perficiatur. Huic facultati retentiua succedit. Cum enim in uentre trahitur alimentum, priusquam concoquatur aliquandiu retinetur, ut debite calor illum concoquat, atque in succum uertat. At qui cum hæc in alimentum non agat, sed retineat alia est facultas quæ illud digerit. Hæc enim susceptum alimentum in succum mutat: Cuius actio, quoniam tota simul & repente perfici non potest, opus igitur est ut aliquandiu ibi retineatur. Ventris vero retentiuæ ea, quæ eparis est succedit, antequam enim in humorem cruentum vertitur, ibi vt moretur oportet, quoniam ipsius

concoctiuæ actio momento non completur. Cui cordis retentiua succedit: prius enim quam cruentus humor in sanguinem cõmutetur, ibi quoque morari opus est: Deinum quæ in singulis membris est retentiua succedit, in membris enim alimenti motus fit, quoniam vt docebimus postea, momento in substantiam alimentum nõ mutatur, Tertia vis alitioni deseruiens, quæ digerens aut concoctiua vocatur succedit. Hæc enim alimentum in alienam naturam mutat: cibus enim contritus ac per os partitus cum in ventrem trahitur, concoquitur, atque in humorem & succum vertitur, qui deinde epati mandatur, vbi illius digerens in humorem cruentum mutat. Hic humor deinceps ad cor diffunditur, vbi ab ĩnato calore in sanguinem mutatur, quæ vero in membris conuersio fit non concoctio, sed alitio dicitur, ob quam functionem vis alens nuncupatur. Cum à fine vnumquodque nominari iustum sit. At vero quoniam in vnaquaque ferè concoctione aliquid alimenti non necessarii super crescit, alia succedit vis, quæ expulsiua vocatur, quę quod super crescit alimentum, tanquam alitioni non necessarium expellit: in ipsa enim alitione quæ in ventre fit, aliquid alitioni non necessarium secernitur, quemadmodum sicca excrementa, quæ expulsiua ad locos a natura destinatos transmittit. In epate etiam secretio fit, veluti vrina quæ ad vesicam transfertur. In corde etiam aiunt humorem quendam generari, qui per poros carnis & cutis deforis expellitur, quare quid alens vis sit, quę etiam deseruientes sint ei virtutes ex his palam.

QVOT CONCOCTIONIS SINT SPEties absoluitur Cap. 17.

SEd his quæ diximus illud obstare videtur, quoniam alimentum in sanguinem in epate, non in corde mutatur, quemadmodum Medici testantur, sed alterius quæstionis dubitatio hęc solutionem quærit, quæ prius explicanda est, quot videlicet sint concoctionis species.

Medicorum nonnulli quatuor concoctionis species esse censent, eo quòd quatuor excrementa fiunt in animali, antequam vniuersalis alitio completur. Primum namque, quòd secernitur excremẽtum, est illud fœculentum, quod à ventre secedit, mox vtraque bilis, & quæ ad renes, aqua delabitur, deinde humiditates quę à sanguine separantur: postremo dum alitur membrum, terrestre illud quod attrictione secernitur excrementum. Alii verò tres tantum digestiones fieri dicunt: quoniam in venis nullam fieri putant, sanguis enim quantulibet ibi sincerior prodeat: non tamen in aliam naturam mutatus: digestio verò substantię mutatio est. Alii vero duas tantum esse concoctiones censent, & prima quæ in venne fit, secunda in corde, propterea quòd Arist. inde iuuentute & senectute, duas tantum recensuit, neque alias statuit. Hos verò tres digestiones fore opinantur si eam, quam in ore alimentum præparationem suscipit, digestionem esse non affirmemus: etenim primum masticantur, molliuntq; cibi: hanc cibi contusionem concoctionis nomiue vocare Arist. libuit: Ab oris enim calore natiuo, cibus contritus, atque contusus, facultatem assumit, qua plurima operatus. Frumentum enim ore contusum, A postemata digerere, atque mutare aiunt, atque ideo digestionis nomen, sibi vendicare videtur: sed non vere concoctio oris præparatio nuncupari potest. Quum in aliam naturam non demutetur alimentum, nisi impropriè, quatenus aliquam patitur mutationem: masticatur enim, atque mollitur ore cibus; Ad quam exiguam mutationem aduertens Arist. concoctionem vocauit. Secunda verò seu prima in ipso fit ventre, vbi humescunt, conficiunturq; confecta cibaria. At tertia vel secunda, in iecinoris corpore fit: cuius nullam fecit Arist. mentionem propterea quòd id quod in ipso conuertitur alimentum, sanguinis nomine appellat: quoniam sanguinis verè, et vt altrioni deseruit, in corde conficitur: concoctio tamen à multis vocatur, quoniam mutationem in iocinore patitur alimentum, nam in naturam sanguinis imperfectam:

mutatur: humescens enim in vẽtre cibus, iecinori delatus, quatenus fieri potest, in sanguinis naturam mutatur. Postrema vero concoctio in cordis ventriculis fit, vbi genitus decoquitur sanguis, purusq́, & sincerus efficitur, & ad nutricanda post hac membra fit aptus & efficax. In cordis enim ventriculis sanguis tanquam aurum obtizum, in nouissimo fornacis camino depuratur: neque hoc ab re dicitur, nam confectus in iecinore sanguis, plurimis scatet superfluitatibus & excrementis, namq́ de illo quod sanè in aquosum, ad ipsos decolat renes. Quod verò crassum & acre est, cuiusmodi atra est bilis, ad lienis demandatur receptacula: colerica verò illius, & bilosa portio fęlli vessicæ delegatur, vt purior postea cordis intret penetralia, à quo exanimatus, & nobiliori coctura insignitus: post hac spirituum, cum animalium tum vitalium cõtubernio, per venarum quasq́ versus sparsas & deriuatas, fibras, mẽbris omnibus alimentum præstat, & vitam, à sinistro enim cordis sinu, quem ventriculum vocant, cum arteria, quam aortam appellat Philosophus, tum venam magnã, originem trahere affirmat: per quas ceu per canalium fistulas, quasdam, sanguis in corde decoctus, vltimum inquam membrorum alimentum, ad diuersas corporis deriuatur partes, à quibus postea cum augẽtur, tum aluntur animalium membra. Neque obid, quòd excrementa varia fiant, totidem digestiones connumerare est opus: eo quod ab eadẽ distantia caloris beneficio multiplicia quoque secedunt, ceu in ferro igni imposito facillime noscitur. Primum .n. ab eo terrenum secernitur quoddam: deinde verò tenius & magis aereum: quoniam fumus & pars illa, quæ in cineres vertitur, eadem semper ferri natura manente, secedunt: cum tamen ipsa non iniuria discrepent: quod & de sanguine apertissimum extat iuditium, à quo tria humorum excrementa, vtraque, sed bilis & vrina non permutato secedunt, quę si dum sanguis efficitur, dumtaxat non deinceps fieri dixeris: non vtique recte sentis: quippe (vt aiunt) sanguis in iecore commoratus, depuratur assiduè, & quan

to sublimius tendit, tanto excrementorum secretione leuescit. In membris vero nullam fieri digestionem asserimus; nempe ea alimenti mutatio alitio nuncupatur. Sanguis enim concoctus & in corde depuratus per membra distribuitur: vbi à natiuo in membris existente calore, in illorum demutatur substantiam. Quare alitio ea alimenti in viuentis substantiam mutatio est. Quid igitur alitio, quo etiam modo fiat satis apertum est.

PRIORIS DVBITATIONIS SOLVTIO Cap. 18.

SEd ad singula deferri membra, alimentum non videtur: nam leue ab Arist. esse censetur: at leuia sursum tantum deferuntur: Singulæ igitur viuentis partes non enutriuntur, sed illæ quæ tantum sursum sunt: demum si quęque eius, quod nutritur, pars alitur. Per omnes igitur partes alimentum permeabit: inane igitur, aut corporum penetratio dabitur. Priorem dubitationem quamuis vario modo interpretes diluant, eorum tamen opiniones non referemus, sed quid nos ipsi sentimus tantum, adiiciemus. Porrò leue, atq; supernatate, lib. de sensu & sensili ab Ari. dicit alimentū, nō absolutè: sed cū ad eā cōferi partē, quæ amara, salsaq; est, quæ dulci grauior extat, tamen absolutè quæq; alimenti concocti pars, grauis est, cum digeratur; concoquaturq;: concoctio enim omnis crassatione perficitur, crassa verò omnia grauia extant: calidum enim, cum concoctionis sit causa: nec non cibos conficiat, suisq; applicat locis: ceu naturalis cuiusdam structurę architectus, & faber, omnia certè digerit, & componit, ab his humiditatibus, quod dulce, & leue est, attrahit, & amarum & salsum relinquit, ob eorum grauedinē, ad nutricationis opus ineptam, & proinde animalium excrementa grauia, & terrea, maximeq; amara, & salsa sunt: propter secretas ab eisdem (calore cooperante) dulces & subtiles partes, his itaque à calore derelictis partibus, concoctum alimentum,

cum confertur, leue nuncupatur, quod vi innati caloris, qui nutrientis animæ instrumentum est, ad omnes viuentis partes internas, supernas, reliquasque mouetur, per ea loca ad hoc officium à natura delegata. Motioque hæc cum naturalis, tum violẽta existit: Merito enim alimenti, quoniam contra illius naturalem inclinationem est, violenta esse censetur, sed merito animæ naturalis existit, cietur.n. vndique a calore qui vt animæ est instrumentum mouet, quæ secundum omnes differẽtias mouet, quemadmodum septimo phisico. monuit Auer.

QVORVNDAM OPINIO, IN SECVNdæ dubitationis solutione refellitur Cap. 19.

AT qui, quomodo per accedens, alimentum quæque viuentis pars alatur per obscurum atque perdifficile est, quemadmodum varia philosophantium opinio nobis fidem facit. Latinorum quidam, partes eius quod alitur, augeturque in duplici serie esse commemorant (quemadmodum etiam Aristo. primo de ortu & interitu monet) aliæ namque formales, aliæ materiales nuncupantur: primas vero partes porosas, secundas non porosas partes, (quemadmodum solidæ se habent) esse censuerunt. Non porose autem partes vere nõ nutriuntur, augenturque: quoniam non nisi per iuxta positionem partis additę ad pręexistentem partem, atque hunc in modum, quæ vita carent augentur atque aluntur. Quemadmodum aqua aquæ additione: partes verò porosę verè augentur atque aluntur: hęc enim alitio per intus alimenti susceptionem fit, & hoc viuentis nutritio ab ignis nutritione secernitur: Etenim ignis, vt partes non porosę, nutritur: non autem vt porosæ partes quoniam poris ignis vacat. Quæque igitur eius quod augetur pars alitur, & crescit, quoniam illius partes aut porosæ aut non porosę sunt, ac vtranque nutriri ostensum est: quęque igitur alentis pars enutritur Quare & viuens totum, cum singulę eius partes alantur. Sed

vana est horum sententia: Arist. enim primo de ortu & interitu, hæc verba habet: deinde quòd caro, & os, & vnaquamq; talium partium est duplex: quemadmodum & aliarum in materiæ speciem habentium, etenim materia dicitur, & spiritus, caro, & os: ex his itaq; verbis constat, partes quæ secundum materiam & formam dicuntur, quæ in alitione & accretione comperiuntur, in rebus oĩbus natura cõstantibus inueniri. Natura verò cõstãtes oẽs partes porosas & nõ porosas non habent. Elementa enim poris carent (quemadmodum ipsi dicunt) & ideo non verè augeri, ignem commemorant: Meatibus enim vacat: Non ergo eas partes quas ipsi referunt, intelligit: sed materiam & formam, quæ in rebus vniuersis natura constantibus inueniuntur: quemadmodum Auerr. & Ioannes grammaticus testantur. Atq; hæc perspicua fieri possunt, ex his quę sequenti particula traduntur: vbi similitudine quadam secundum quas partes fiat accretio ostendit. Fingamus enim eadem mensura multum aquę nos metiri, non est dubium, quin alia semper ac alia sit aqua, quam metimur: Cum tamen semper eadem mensura maneat: Itaque forma rei, tanquam mensura est, quæ permanet etiam si materia fluat. At pars porosa mensurę persimilis esse nequit, quoniam ipsa non permanet, sed solida & non porosa permanet. Deinde ea verè nutriuntur, quæ permanent; porosæ non permanent, non ergo verè augentur. Demum si secundum formam partes essent porosæ, secundum formam igitur accretio & alitio non fierent: quoniam secundum partem, quæ permanent accretio fit, quo pacto partes illæ, quas secundum formas vocant, non se habent.

SECVNDA OPINIO, ET EIVSDEM euersio Cap. 20.

POsteriores quoque Philosophi, duplices partes esse, cõmemorant, materiales videlicet, & formales: ac formales illas esse asserunt, quæ instrumentorum funguntur offi

cio, ceu manus pedes & caput. Materiales vero, quæ simi lares sunt, veluti neruus & caro & alia huiusmodi, quas Philosophus fluere, atque refluere asserit, formalibus non mutatis, namque mutata brachii carne, idem brachium remanet. Sed cur hę potius formales, illę materiales? ita exponunt, quoniã hę formæ, q̃ est anima, minus adhærent, materiæ ineunt appellationem, illæ vero formę rõnem habent: quoniã absque vllo interstitio suscipiunt animam. Caro.n.neruus & ossa, instrumentalium membrorum virtute animata dicuntur. Anima.n.non similaris, sed organici corporis actus dicitur. Viuens itaq; corpus secundum vnasq; partes alitur, sed primo, & per se secundũ formales, secundũ vero materiales ex accidẽti. Atq; quonam pacto singulæ alantur partes, ita exponunt. Alimẽtum.n.in primis ex quo alitio procedit, ad minimas partiri partes oportet imo eo quo alimentũ intraneum est, suscipi aptum, q; per minima suscipitur: quare quod alitur, secundum minima alitur. Sunt.n. partes minimæ formales, quę tantæ magnitudinis existunt, q̃ destinatam formæ suscipiunt actionem, q̃ si minores euaderent non susciperent. Atqui ideo partes minimæ naturales, seu formales vocitantur, secundum has itaq; partes minimas, merito tamen formæ, & aię, viuens alitur. Cõsimiliter secundum partes materiales, vt secundum minimas naturales partes, non tamen rõne materiæ, sed merito formæ. Quare totũ cum singulis partibus, tum formalibus, tum materialibus, secundum formam augetur, & alitur. His.n.in partibus ex materię resolutione, quędã concauitates, quæ pori vocãtur, generantur: in his in minima diuisum, alimentum ab aïa, virtuteq; eius inexistẽte, in partiũ substantiã, demutatur. Verum & hi quoq; in apertissimo errore sunt. Eas enim partes, secundum formam, atque secundum materiam, Aristoteles vocat, quæ in omni re materiali comperiuntur, quemadmodum verba Philosophi docent. At partes, quæ instrumentorum funguntur officio, in quapiam re naturali non inueniuntur: sed solis viuentibus accomadatæ sunt. Hæ igitur

partes secundum formam non vocitantur. Adhuc variata materia, forma quoque variatur (veluti postea docebimus) quare cum similares, vocatę partes, materia sint, quē admodum ipsis videtur, earum quę instrumentorum funguntur officio, demutantur, cum illę variantur. Pars enim instrumentaria (vt Philosophus docet) congeries, compositioq́ue plurium similarium extat, vnius igitur mutatio, alterius quoque mutatio erit. Deinde quod alterius causa, atque beneficio alitur, per se & primo non alitur, sed instrumentariæ partes ob similares aluntur, quemadmodum primo de ortu, sic Philosophus docet, suscipiendum. Causam determinantes, prius vtrum quidem quod anomeomera augentur, cum homiomera augentur, componitur enim ex his vnumquodq; anhomiomeris, igitur primo incrementum, & nutricatio conuenient, atque primo similares aluntur, & non ex accidēti, quemadmodum ipsi testantur. Demum non rectè dicunt, quando asserunt animam partibus instrumentariis, primo adhęrere, namq; primo illis partibus heret anima, quibus, vt suos actus perficiat, vtitur. Atqui vtręq; partes istæ sunt. Anima enim interdum similaribus vtitur, vt quando actus perficit, qui passiones ab Arist. vocantur, qnando enim sensatio completur similaribus vtitur, quemadmodum pro aspectu crystalloide humore, cōnato aere pro auditu, veluti ipse Philosophus secundo de animaliū partibus docet, licet quando actus, quos actiones vocat, producit, instrumentariis vtatur, vtrisque igitur partibus anima per se adhęret. Neque tamen obstat, quod ex animę definitione inferunt, qđ anima actus primus corporis naturalis organici dicitur: Nempe corporis organici appellatione, instrumentarias, quas officiales appellāt, non intelligit partes, sed naturale corpus, quod cum in suis partibus diuersitatem obtineat, illę ad diuersas animę actiones perficiendas destinatę sunt, quemadmodum ex ipsomet Aristo. conspicuum fieri potest, cum in commētariis de anima, tum in his quos de animalibus partibus conscripsit.

AVERROIS, ET MEDICORVM opinio. Cap. 11.

AVerrois, & cum eo Medici, atque ferè omnes Latini, viuentia secundum, quodcunque signum sensibile, enutriri testantur: Sunt enim viuentium partes in duplici serie. Aliæ quę sensibiles sunt, & dicuntur, quę si à toto separantur, per se existere & conseruari possunt, & destinatam formę suscipere actionem. Alię vero non sensibiles vocitantur, vt quę si à toto separatę fuerint, persistere nõ valent, neque formę definitam actionem suscipere. Secundũ has, itaque partes, viuentia non augentur, sed secundum sensibiles, quemadmodum primo de ortu Aristo. ostendit. Adhuc autem (inquit) quodcunque signum sensibile, aut maius aut minus factum esse. Augetur autem quęque sensibilis pars, per intus susceptum alimentum, quoniam in earum quaque ex actione caloris naturalis, ob humidi, & materiæ resolutione, quædam concauitates producuntur, quæ pori vocantur, qui dum alimento non implentur. aere, vel alio corpore implentur, quod ab alimento adueniente, foras expellitur. Quare alimentum, secundum minima diuisum, hos poros ingrediens, à sensibilis partis virtute inexistente, cum primũ attractũ est, in eius qđ nutrit mutatur substantiam, atque ita neque corpus permeat corpus, neque inane sequitur, quòd vero in his partibus concauitates sint, sicut ostendunt. Insitus calor, cõtinuo humidum dissoluit portio igitur eius aliqua dissoluitur, & cum noua materia per tempus non succedat: necessarium igitur est in membris fieri meatus, ob materiæ fluxum, qui demum cum alimento implẽtur, deperditas resarciunt partes. Ad hæc calor natiuus, non tantum, eam humidi partem dissoluit, quæ venis colligata est, sed totum membrũ per singulas igitur membri partes, alimentum pertransire necesse est, atque per illas non permeabit, nisi meatus sint, necessarii igitur alitioni sunt meatus. Aristoteles, præterea non tantum totũ viuens augeri dicit, sed singulas eius

sensibiles partes, sed viuens per alimentum intus susceptum augetur, hunc igitur in modum quæque eius sensibilis pars nutritur atque augetur: intus igitur in singulis partibus, alimentum suscipitur, quod sine concauitatibus recipi non potest. Iam vero si meatus non essent, alitio consimiliter & accretio iuxta positio magnitudinis ad magnitudinem esset, veluti cum lapis, lapidi iuxta ponitur. Vt igitur alendi actus perficiatur, meatus quidam in partibus nutriẽdis existunt. Sed de partibus solidis apud eos; controuersia est, quomodo augeantur cum eiusmodi partes poris careant. Quidam eorum asserunt, has partes, per iuxta alimenti positionem enutriri, quare diuerso modo, quàm his quæ meatus habẽt. Sed alii hos arguunt, Si .n. vniformiter non enutriuntur solidæ partes, huius igitur diuersitatis debuit Philosophus meminisse, quando de incremento disseruit, Atqui omnibus eundem nutritionis modum præfixit. Horum igitur sententia vana est. Demum solida membra à calore naturali resoluuntur, ex deperdita igitur materiæ, resolutione, aut meatus generantur, aut in deperditæ locum pars, quæ propè est succedit, quod fatendum non est, quoniam ita, & non solida membra per iuxta positionem enutriri possent, meatus igitur ex materię fluxu generantur. Iccirco alii omnibus sensibilibus partibus, eundem alitionis modum definiunt, quippè in solidis partibus, ex deperdita materia, meatus oriuntur. Ossa enim tempore, quo vita consistit, non adeo arescunt, ita vt nihil humoris obtineant: exiguum enim humorem habent, è cuius interritu meatus gignuntur, qui cum alimento implentur, alendi beneficium solidis membris parant, per quos etiam meatus decrementum etiam viuentium fit. Etenim cum minus alimento implentur, quàm fuerit deperdita materia, decrementum secundum omnes partes sensibiles fit.

AVERROIS, ET MEDICORVM OPInio refellitur Cap. 22.

SEd vana, & ab Aristotele aliena est horum opinio, etenim si ideo quæq; pars minima, atque sensibilis, eius, quod nutritur, alitur, quoniam earum meatus sub ingreditur concoctum alimentum, totum ferè corpus meatus esset. Nam cum secundum partes minimas fiat incrementum, atque alitio, tot igitur meatus, quot partes minimæ, cum cuique per meatus apponatur alimentum. Iam vero, si ita partium viuentis alitio fieret: momento igitur, & nutritio, & incrementum fierent, quod fieri non posse, postea docebimus, atque id quod consequitur, ita deducitur. Si secundum minimas partes alitur, & increscit, quod alitur, & augetur. alimentum igitur secundum minima, poros ferè non sensibiles sub ingreditur (quemadmodum tertio Phisicorum docet Auer.) At minimi conuersio, atque mutatio, secundum eos momento fit: nutritio igitur, & incrementum momẽto fierent. Mox si alitioni meatus deseruirent, Aristoteles ab Empedocle, quem primo de ortu & interitu, arguit, non redderet. Etenim vt actio & passio fiat, meatus corporibus inspersos esse asseruit, quos agens aut patiens sub ingreditur, qui cum agente, vel patiente repleti non sunt, aere, aut aliquo subtili corpore replentur, quod mox per ingressum expellebatur. Atqui, secundum hos, hęc ipsa est Arist. opinio, aperte igitur ab Arist. dissentiunt. Meatus igitur alitioni, quemadmodum neq; actioni, passioniúe, non deseruiunt, & quamuis ob materię fluxum, meatus quidem oriuntur, cum tamen continuo alatur viuens, quæ circum circa pars, locum deperditę sub ingreditur, ab ea, quę recens exorta est propulsa, quemadmodum paulo post docebimus. Singulę vero partes augẽtur, totius accretione. Quare sat est, in alitione totius, vt alimentũ deforis accedat. Neq; tamen inde sequit, iuxta positionẽ esse, incrementũ alitionemq;. Nam

licet absq; alimenti iuxta positione non fiat, consequitur tamen alimenti iuxta positionem, assimilatio, atque alimenti conuersio, in viuentis substantiam, quę quidem mutatio, in lapidum accretione, non conspicitur.

PROPRIA OPINIO. Cap. 23.

ALiorum hucusq; opiniones diuersas, quomodo vniuerse viuentis partes enutriri dicantur, enarrauimus, atq; reiecimus. At nunc quid ipsi sentimus, referendum est. Aristoteles, itaque opinatur, proinde eius quod enutritur augeturque, vniuersas partes nutriri, & augeri, quoniam cum viuentium alitio, atque accretio ab anima prodeant vegetali, quæ ipsum viuens secundum omnes differentias mouet sursum, deorsum, ante, retro, secundum dextrum, & sinistrum, atque penes hoc, à forma puræ sinceræque naturali separatur. Nempe hæc, ad vnum tantum mouet: quis enim ignorat, inquit Themistius 2. traditionis de anima, arbores, stirpesque cum augentur, simul & sursum ramis efferri, & deorsum radici mergi, quod in nullo corpori naturali, & non viuente, conspicitur. Nam omne corpus naturale, qua naturale est, vnum dũtaxat sibi locum scripsit, quo versus se se agat & referat. Plantæ vero, & fructrices simul in contrarias regiones agitantur, non tamen cum augentur, sed etiam cum decrescunt, diminuunturq; viuens itaque dicitur, secundum sui omnes partes enutriri & augeri, quoniam secundum contrarios motus atque vndique augetur. Plantæ enim vndequaque augentur, & à dextris & à sinistris, & secundum inferas, supernasque partes: radices enim secundum profundum augetur, & dextris & sinistris, in latus enim vtrinque crescũt, sed & ante & retro: æqualem enim id quod est, secundum profundum incrementum capiunt. Consimiliter etiam, & animalia, secundum contrarias regiones simul augentur, quæ enim viuentia non sunt, ita non crescunt, non enim

per

per omnes suas partes augentur. Si enim ad frumenti cumulum, aliud frumentum addatur, non per vniuersas cumuli partes, fit additio, sed in vna: pariter ignis incrementum, non per omnes partes fit: sola igitur viuentia sunt, quæ vndique augentur, atque hoc ex Aristotele secundo de anima haberi potest, quod etiam Simplicius, & Ioannes Grammaticus confirmarunt. Quibus apertum fit, quòd non omnia, quæ secundum tres mensuras augentur, secundum omnes partes, hunc in modum augentur, sed quæ vitam tantum obtinent. Et quamuis Aristo. accretionis in vniuersum prædicata, primo de ortu enumeret, hoc tamē cuius meminimus prędicatum, viuentium incremento, atque alitioni conuenit, atque illius meminit. Cum vt omnia enumeret prædicata, quę ab omnibus, incremento secundum tres diametros, facto posse censetur, tum vt huius accretionis naturam doceat, quę tota integraq; in accretione viuentium saluatur, quemadmodum eorum natura, quę ad vnum, vel ab vno dicunť, in priori semper specie tota saluatur. Quod secundum similitudinē, in non viuentiū incremento saluať. Sed quomodo inferiores, superioresq; viuentium partes crescant alanturq;, consimiliter & reliquę explicandum est. Enutriuntur itaque omnes viuentium partes, per alimenti iuxta positionem, materię priori parti super veniēs materia apponitur, quemadmodum in canali & corio facto, vt Ioannis Grammatici exemplo vtamur, aquę quidem appositio fit, & quę sub ingreditur apponitur, solum præexistenti, & propellente hac, priorē sic æqualiter fit, aquæ multiplicatio, & ita quæcunq; pars canalis æqualiter extenditur, ita in accretione contingit. Alimentum enim concoctum, vtpote sanguis cum per venas ad membrum nutriendum tractum est, priori tantum parti: quæ propè venam est apponitur. Hoc à virtute partis in illius substantiam mutatur, & recens conuersa pars priorem propellit, donec concauitates ex fluxu materiæ progenitę, à partibus circum circa stantibus, impleantur, & dum pars partem propellit, extensio secundum tres dia

metros fit, quæ incrementum dicitur. Etenim ob maiorem alimenti mutationem, quam fuerit deperdita materia, in maiorem molem, partes animæ extendit, atque pertransire facit. Nutrimenti itaq; succus per minutissimas venarum fibras, ad nutrienda membra delatus, atque tractus, in eorum substantiam permutatur, quod tum fit, quando calor innatus, cum in succum operatur, ex præexistenti coniungit: ita quod ex priori, & ea quæ recens genita est, vnum quoddam continuum facit, quod mox extendit, & vt in maiorem molem pertranseat operatur. Etenim incrementum non semper facit caloris natiui virtus sed aliquando nec eodem modo, sed alias vehementius, alia vero remissius, si multus est, vt in pueris, & adolescentibus. Sæpius nimirum propter indigentiam, & inanitatem, instaurandum est corpus. In qua instauratione, modus ille est, vt foueatur scilicet, non autem obruatur & restringatur calor naturalis, copia affluentis alimēti, ex inanito, & exhausto, non nihil propter calorem corpore extenuari partes necesse est, atque meatus quidam inde surgunt, qui à proximis partibus ob pulsionem à superueniente succo factam, implentur, & si plus accesserit alimenti (quod vi, & efficacia caloris euenire solet ab ineunte ætate) quam decesserit, non solum, quod prius rrat, restituitur, sed proptere a additamento quodam locupletatur, dum sic adolescit, & stirpium & animalium corpus. Atque hæc ipsa, quæ à nobis explicata sunt, ab ipso met Auer. haberi possunt, qui & si varius & non sibi constans appareat, in de ortu & interritu paraphrasi, quando de incremento differit, sic hoc confirmat, & cum ita sit (inquit) & augumentatum augetur, per omnes partes eius, & īposſibile est, vt illud, quod prouenit ab extrinseco, transierit in omnes partes eius, quod augetur: Imposſibile enim est corpus transire in toto corpore, nullo ergo modo potest esse in eo, iste motus, nisi per admixtionem, & quòd illud quod prouenit, ab extrinseco trasmutatur in substantiam rei admixtæ in eo, in quo est augumentatum, vt verbi gratia, dispositio est in

aqua, quæ est in vase, cum enim peruenit super eam gutta vini, manifestæ quantitatis, tunc augumentata est aqua secundum omnes partes suas, & obseruat figuram vasis, & gutta trasmutatur in substantiam aquæ, & aqua augetur per omnes suas partes, non quòd pars vini, transeat per omnes partes aquæ, sed cum illa gutta peruenit super aquam expulsæ sunt omnes partes aquæ æqualiter, & augumentatur aqua per omnes suas partes. Non ergo per singulas partes nutriendas, secundum Auerr. alimenti succus pertransit, quod etiam Ioannes Grammaticus euidentissime confirmat: non enim (inquit) totum adueniens per totum permeat, sed apponitur solum priori, materia superueniens, & quemadmodum in canali ex corio facto, aquæ quidem appositio fit, & quæ subingreditur, apponitur sola præexistenti, & propellente hac priorem se, sic æqualiter vbique fit aquæ multiplicatio, & sic quæcunque pars canalis, æqualiter extenditur, ita etiam in augumentatione accidit. Nam sanguificato alimento per venas quocunque tracto, & circumfuso, in vnaquaque consimilium partium, & natura, eiusque partium condigerente, hoc, & mutante in subiecti substantiam. Sic augumentationem accidit fieri, est enim & in ossium substantia, & carnis, & reliquorum humiditas quædam vbique sparsa, & maxime in substantia eorum, quæ augentur. Hæc enim sunt humidiora, sanguis ergo, ab extra circum fusus, cuicunque parti apponitur, humiditati huic, & propellens ipsas, vel potius vndequaque à partibus tractus, secundum omnem dimensionem ampliorem facit, quæ condigesta à potentia nutritiua mutatur in subiecti substantiam. Apertum igitur factum est, alimenti succum singulas eius, quod nutritur partes percurrere, non esse necesse, sed vni, vt præexistenti apponitur. Quòd vero hunc in modum per partium pulsionem incrementum fiat, euidentissimo signo planum fieri potest. Nempe in carnibus, & ossibus cicatrices, quæ in iuuentute factæ ex vulneribus sunt, videmus eundem situm, locumque non seruare, sed illum variare, quod aliam

ob causam non contingit, nisi quia antiqua pars à recente pulsa, locum mutat, namque si non pelleretur, eundem semper situm, atque locum seruaret. Pelluntur igitur prę existentes ex recentibus partibus ex alimento productis. Quibus etiam conspicuum factum est, quomodo hoc alitioni, & incremento conueniens effatum in accretione eorum, quę vita vacant comperiatur. Nempe secundum omnes partes, hęc augeri dicuntur, non quoniam alimenti succus, secundum omnes differentias moueatur, vt secundum superna & inferna, atq; reliquas differentias, sed quoniam cum vni parti appositus est, mox totum augetur, quamadmodum ex exemplis de aqua retro expositis planum fieri potest. Cęterum viuentium partes, quę aluntur, augenturq; duplices sunt. Aliæ namque, Anomihomerę vocitantur, vt quę cum toto, neque iddem nomen, neque eandem seruant rationem, quemadmodum facies, manus, & quæ in hunc modum se habent. Alię vero homiomeræ dicuntur, atque similares, augentur itaque primæ, similarium accretione, non enim faciei additione facies augetur, neq; manui, manus. Sed eo q; caro, os, & neruus, & omnia simpliciter similium partium, augentur, ita .n. accidit augumentatis, & quę dissimilium partium, augeri. Similares .n. partes, dissimilarium materia sunt. Nam similarium cõpositio dissimilare facit, merito contingit, similaribus auctis, & quę ex his composita sunt, aucta esse.

DE ACCRETIONE NON VIVENTIVM secundum tres mensuras. Cap. 24.

NAtura itaq; accretionis, atq; alitionis viuentium propria conspecta, ex hac qũo secundum tres mensuras corporis ingressu, non viuẽtia augeanĩ, perspicuum fieri potest. Etenim corporea elementa, quẽadmodum ignis, aer, aqua & terra, consimiliter ex his cõmixta, vt metallica, fossiliaq; augenĩ, & aluntur. Crescit .n. interdũ ignis secundum tres mensuras, propter deforis accedentẽ materiã. Consimiliter & elementa reliqua, quare cum hęc eorum mutatio ad magnitudinem finiatur, nulla alia esse videatur, præter incre-

mentum. Augetur itaq; ignis, non tamen eodem oĩno mõ, quo & alia elementa, nam (vt inquit 1. de aĩa Simpl.) accessione rerum dissimilium, exẽpli gratia ligni, vel lapidum crescit, quas sua propria virtute conuertit in suam naturã. Accretio igitur ignis dissimilium rerum accessu, & nutritione fit. Namque nutritio conuersio est assumpti corporis, in naturam eius; cui appositũ est, & ideo Philosophus absolutè generationem eam non vocat, cum quippiã seorsum non producat, sed alteri inexistens. Hanc ipsam mutationẽ sepius Arist. nutricationẽ ignis appellat. Quãuis cõsueuimus nutricationis appellatione, alimenti mutationẽ in viuẽtis substantiã, vocitare. Crescit igit ignis & dissimiliũ accessu, & per nutritionẽ. At elementa cętera crescunt, & conseruant, adiectione elemẽti eiusdẽ formę, vtpote terra, adiectione terrę, & aqua augetur aquę effusione, quare horũ incrementũ, per nutricationẽ intermediã nõ fit, neq; dissimiliũ accessu. Viuentium aũt incrementum vtrunq; includit, quemadmodum & ignis accretio, à qua tamen secernitur, quoniam per certas corporis partes, quæ organa dicuntur, & vndequaque alimentum apponitur, cum ab anima fiat: quæ secundum contrarios mouet motus, quemadmodum retrò docuimus. Et ideo non eodem oĩno mõ, secundũ oẽs partes elementa crescunt, quẽadmodũ viuentia, veluti superius explicatũ est. Ex his ẽt constantia corpora alunt, augenturq;, rei dissimilis accessu, quod cum in propriã naturã cõmutatur, magnitudinis additamento augent. In oĩ .n. mixto, calor innatus est (quẽadmodum 4. meteo. monet Aue.) qui continuo humido pabulat, hoc ipsum in sui ipsius naturã cõmutãdo. Verũtamen caloris naturalis vis, in rebus viẽntibus magis cõspicua est, atque potẽtior, cũ quia hęc ipsa plus caloris habent, minus vero vita expertia, tũ quia viuẽtiũ humidũ aereũ magis est atque resolutioni paratũ. Inanimata vero exiguo calore participãt, atq; illorũ humidum aridũ, & cõpactũ valde est, quare minus resolutioni paratum: & iccirco dissolutio conspicua non est, & non nisi lõgo temporis decursu apparet,

& obid iuxta posito alimento non ita egent, quemadmodum viuentia, sed intus existente humido, per tempus conseruari possunt. Neque etiam huius caloris vis, semper eodem modo se habet, sed alias vehementius, alias remissius. In principio enim multus est, & ob alimentum iuxta positum, non tantum aluntur, sed augentur: etenim lapides & metallica, ex quibusdam definitis rebus, in eorum conuersis naturam augentur & aluntur. Cęterum incrementa hęc non veræ accretiones, sed analogia dicuntur, nam ea verè enutriri dicit Aristo. quæcunq; habent instrumenta, per quæ nutrimentum accipiunt, ex quibus ex alimento additio, & accretio fit, per omnem partem, ignis autē, & aqua, & reliqua quæ vita vacant, neq; in omni parte augentur, & crescunt, neq; instrumenta habent, per quæ alimentum suscipiunt: quare figuram, & similitudinem nutricationis atque accretionis hęc incrementa recipiunt. Quod recta ratione factum esse censemus, non enim, qui currit, omnis continuo cursor vocatur, neque qui periclitatus semel lucta est, dicitur pugil: sed hac nominum forma censentur, hi qui artium aliquantum apicem tenent, longa & diligenti exercitatione perfectum. Ita neque omnia, quę nutriuntur, augenturq;, augeri aliq; dicunt, sed quæ perfectè, hæc munera complent. Iure ergo Arist. viuentia per se augeri, & nutriri censuit.

CVR ACCRETIO, ET ALITIO VIuentibus sit à natura largita Cap. 25.

HActenus de accretione, secundum tres mensuras disseruimus. Nunc quam ob causam nutricationem, & accretionem viuentibus elargita sit natura, & quousque aluntur, atque crescunt, viuentia aperiendum est. Cum viuentium omnium vna conditio sit, vt quatenus viuunt, calore satis abundent, quod Philosophus libro de iuuentute & senectute docet, asserens, vniuersa viuentia innatum calorē habere, & iccirco viuentia calida videntur, morientia au-

tem, & vita priuata contrarium. Et in commentariis de morte & vita, generatio (inquit) est prima participatio in calido nutritiuę animæ. Vita autem mansio huius, Iuuentus autem est, primę refrigeratiuę particulę incrementum, Senectus autem huius decrementum. Et in his quæ de respiratione vocantur: quoniam autem dictum est prius, quod viuere, & animæ habitus, cum caliditate quadam est, igne igitur operantur omnia: calore igitur viuentia, dum viuunt, participant. Atqui calidum, quod ad omnes viuentis actus perficiendos concurrit, consumitur, quemadmodum Aristo. libro de longitudine & breuitate vitæ docet. Adhuc autem quæcunque laboriosa musculorum propter laborem senescunt magis, dessicat enim labor, senectus autem sicca est, calidum igitur, quo dum viuunt satis viuentia abundare debent, diu permanere non potest, quare vt regeneretur, pabuleturque necesse est, conueniens autem eius pabulum est humidum aereum: quare in pingui materia ignis nutriri censetur, qua deficiente ignis aboletur. Quum itaque viuentia caduca calido consistant, ergo si eorum vita permanere debet, assiduam eiusdem calidi generationem fieri ex suscepto humido, in locum deperditi necessum est. Alitionem igitur viuentibus est natura largita, vt quatenus possint, propriam naturam conseruare valeant, quantum eis ex natura tributum est: quandoquidem ęternum fieri nequit: quod enim sua natura caducum & fluxibile est, perpetuum fieri non potest, vt in cōmentariis de cœlo Arist. docet. Potestas igitur nutrix per alitionem, proprii indiuidui substātiam resarcit: quare nutriuntur, quam diu viuunt viuentia, veluti secundo de anima Philosophus monet: saluat enim substantiam (inquit) & quousque alitur. Quare cum alitione deperdita substantia, quę paulatine caloris innati vi, deperditur, resarciatur, quousque viuit, nutricatio viuenti inest. Accretio vero cum vita non permanet, propterea quòd omnium naturà constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augumenti: quęque enim forma definitam magnitudinem sibi de

finit secundum amplum exiguumq;. Nempe (inquit Aueroes octauo de phisico auditu) si naturalis magnitudo, terminum non esset sortita, sed in infinitum cresceret, non haberet vtique perfectionem per se à natura intentam, cum infinitum extra naturę intentionem sit, quare si per incrementum natura rei naturalis perfectionem quęrit, definita igitur magnitudo esse oportet, & ideo quemadmodum res naturales à propriis formis in suis actionibus definiuntur ita ab eisdem definitam magnitudinẽ sortiuntur, qua cuiusq; rei propria functio completur. Non enim inquit Philosophus septimo politicorum ex paruissima naui fit nauigandi actus, neque si mole multum exuperarit, minime enim gubernari posset cuiusque igitur rei magnitudo definita est: at terminus à rei propria forma habetur. Res enim naturales ex materia & forma constantes, merito materiæ, neque magnitudinis neque auctionum terminum adipiscuntur, nam cum materia sub variis diuersisq; formis esse valeat, quæ variam diuersamq; magnitudinem, & actionem conquirunt, sub omni illa magnitudine, atque functione materia vt stet oportet: ob materiam igitur terminum, neque magnitudinis, neque actionum res natura constantes suscipiunt (quemadmodum tertio phisic. Aristo. monet) quare propter formam res naturales, magnitudinis terminum sortiuntur: forma enim in quacunque exigua materia esse non valet, neque in ea quæ multum exuperat, sed definitam sibi perscribit, atque iccirco, vt inde per illam operari possit. Anima itaque vegetalis, cum forma sit viuẽtibus, igitur secundum paruum & amplum finem prescribit, vt demum quæ viuentibus conueniunt actiones commode perficere, atque complere possit. Incrementum igitur iure viuentium vitam non cõcommitatur, sed quousq; viuentia proprium magnitudinis terminum sunt adepta. Materialem quoque causam alii largiuntur, quum enim partes sicciores seipsis euaserint, nõ suapte natura amplius extendi possunt, vt quantitati adiiciant, vnde & infantium, & puerorum, velox admodum fit incrementum,

mentum,

mentum, & cum in totis sæpe duobus, aut tribus annis,
duorum, aut trium cubitorum adiectionem ceperint, in
aliis plurimis minimam adiectionem accipiunt, cum iam
partes ad siccius mutentur, nec extendi possint, & magni-
tudini adiicere.

CVR AD LONGITVDINEM POTIVS viuētia crescant, & rotunditatē excupiant. Cap. 26.

SEd cur ad longitudinem potius viuentia crescant, &
rotunditatem desiderent, causa quoque explicanda erit.
At prioris, quod quæritur, causa, ex his quę à nobis retro
explicata sunt, haberi potest. Nam vt in suis perficiendis
operibus, viuentia bene se habeāt, longitudinem præcæ-
teris affectant, quod ita perspicuum fiet. Animalia enim
cūncta (vt inde ordiamur) q̄ ambulationis motu se agi-
tant, eam decuit habere figuram, qua longitudine inuale-
scente, & qua commodè progredi possent. Arist. enim
2. cœli, cum stellas fixas, Sphericam figuram habere de-
monstrasset: cum alioquin inepta quadam motione vo-
lutarentur, vel instrumenta haberent, quæ à rotunditate
deficerent. Simili modo si quadrata, seu cuius vis alterius
figuræ fuissent. Quarè id primum in eis, iuxta causa fuit,
quod homini præcipue conuenit, qui præter id, quòd sa-
tis est longior, præcæteris animalibus sibi rectitudinem
comparauit, vt sui nobilitatem ostenderet, & rebus, quæ-
rum maximè particeps effectus est, spectandis, esset ido-
neus, idq; vnde prodierit reuersurus faciIè nosceret. Si ve-
ro de imperfectis animalibus, quæ sese mouere nō possūt,
nisi obreperint, & similia, loqui velimus, eadem causa erit.
Quandoquidem vt a parte coacta porrigitur alia, terra q;
defixa voluratur, q; nisi oblonga fuisset explere non po-
tuissent. Si præterea de testudine, quæ rotunda est, & nil
minus incedit, oppositio fiat, id noscatur oportet (vt li-
quet) quòd lentissima est, & prauè se agitat. Insuper,
id addendum est, quòd longior aliquantisper euadit.

cum ad oualem figuram accedat. Limaciarum etiam genus, id habent, vt & si Spherice videantur, cum tamen ceruicem attollunt, & meant, oblõgiores satis apparent: quæ ideo rotundam sortite sunt textam vt in se ipsis coacte, facilius & melius detineantur. Itaque quoque dum herinaceus incedere appetit, oblongæ figuræ constat. Ea verò quę lapidibus figuntur veluti ostrearum genus, & si rotunda satis appareant, ad quandam tamen acutiem vergunt, penes quam, eorum longitudo prętendit, in cuspidem namque vt constat, figuram protendunt, in quibus huius rei causam mouendi commoditatem assignare non possumus, cum lapidibus affixa sint, siue imo pelago deuoluta. Sed potius plantarum more inde incurrũt, quarum longitudinis finis, hic primum vniuersalis existit, quo perfectioribus animantibus pro viribus assimilari concupiant, ac si nobiliori ita modo se habeant. Peculiaris verò, & proprius est, vt pro edendis fructibus sese attollant, quo purius ac syncerius sursum attrahant alimentũ, si nanque propè terram finirent, latiores euase, non ita stirpes germinarent ramos, Atq; ideo fructus exoriri non possent, longius si quidem attractum alimentum purius fit, steriles deinde aliorum normam sequuntur, vt quòd sui perfectionis fuerit, & dignitatis obtinent. Effectricem deinde causam plantæ habent, & animalia cuncta, cur magis longitudine crescant, cum calor ille sit, qui in cunctis huiusce actionis principium extat, eam facultatem sortitus est, qua materiam rarefaciat, extẽdat, viuentium enim omnium ea conditio constat (quemadmodum retrò docuimus) vt quatenus viuunt, satis calore abundent, ad eam partem, quę singulis animantibus conuenit proprium munus extendit. Nimirum ei plurimum libet ascensus, qui nisi erectę figurę fuerint, in longitudinem materiam ducit, ceu in his, quę proprio capite incedunt, fieri apprehenditur, sursum enim eorum caput existit, & quatenus potuit superiori mundi loco similius redditur, quare homo suę magnitudinis respectu (teste Philosopho decima primo problema-

rum sectione) calidissimus omnium, atq; rectissimus existit. Plantę vero quamuis sentientibus plurimis erectiores euadant, non tamen quòd amplius calent, id ipsum sortitę sunt, sed vt pro sua propaganda sobolę, sibi melius satis expositę suo fine potirentur. Ad hec aeream magis ineunt conditionem, atq; ideo superior eorum locus, superiorem vniuersi locum emulari, ipsumque melius imitari non poterant. A terra nanque, velut à ventre quodam proprium suscipiunt alimentum, quæ cum debitam longitudinem pro ædenda sobole comparauerint, in spheram ramos plurimos emittunt, & perfectiorem figuram imitate, quod sibi est commodi, pariter assequuntur, spherica nanque figura omnium præstantissima est, (vt Arist. docet) quam fructus omnes pro viribus imitantur. Quę verò non satis spheralis euadũt, aut in cuspidem, ceu Iuniperus & palma, sese attollunt, eiusdem figuræ hærentes: nanque alterius condictionis euadunt, cum celere omnes ignobiliores euaserint: quarum etiam stipes rotundus est, quadratus autem, seu alterius figurę nunquam, nisi quispiam fortasfis arte deductus excipitur. Animalia quoque simpliciter omnia, rotunditate plurimum afficiuntur, & eorum singula membra, inter quę homini ita apertissimè conuenit, cum illi caput omnium dignissimam partem sphericam ferè naturam concessit. Cor etiam ad rotunditatem vergens, ita se habet, nisi quod modicum ad acutiem tendit, ad illa quoque accedere nititur venter, & iecur. Vnde liens his omnibus connumeratis ignobilior angulos excepisse videtur, iddem de minus principalibus membris dicendum. Brachia nanque, fęmora, aures, digiti, venulæ, ossa, & denicp nerui eiusmodi figuram effingunt. Latę autem manus fuerunt, vt proprium excerceant munus accipiendi. Pedes autem, vt totius corporis pondus, aptius atq; commodius ferrent, quòd de cæteris omnibus animalibus pro sui magnitudine sigillatim ita ferendum. Forma vero vniuscuiusq; viuentis, id quærit, & postulat, vt oblongiorem materiam formet. Hæc autem anima est.

quę cum cœlestibus pro viribus morem gerens, sphęram formare seu deuoluere nequeat, oblongiorem, super addita rotunditate, figuram obtinuit, vt quantum ei perfectionis longitudo subtraxerit, tantūdem sphericitas suppleat; secus tamen formare non posset, eo qui expediendis operibus, quæ melius exercere non possunt optimè pręparetur oportet. Materia postremo à propria cogitur forma, à qua proprium esse suscepit, cumque rectus sit omnium elementorum motus, iccirco Philosophus recta illa Corpora vocat, viuentibus omnibus præter formæ atq; finis necessitatē pręsidiū afferūt, vt in longitudinē potius, quā in reliquas corporis dimensiones augeant & crescāt.

DVBITATIO PRIMA Euertitur. Cap. 17.

QVum accretionis, atque nutritionis, necessitatem perscrutati fuerimus, nunc dubitationes diluendæ sunt, quę his, quę à nobis explicatę sunt, se inferunt, atque prima est. Si incrementum motus est, & motio omnis è contrario in contrarium fiat, magnitudo vero incrementi terminus contrarietate vacat, non igitur acceretio motus erit. Secūda, si incremētū motio est idē numero subiectū, igit in ipso manere oportet, in motione enim idem numero subiectū manet. Atqui in accretione idem secundum numerum subiectum non manet, cum aliud & aliud continuo esse censeatur. Ob caloris innati actionem, fieri igitur nequit, vt incrementum motus sit. Tertia & postrema, motio omnis, tempore metitur, atq; continua est. Accretio verò ita non se habet, sub motionem igitur accretio cadere non videtur. Hę itaque sunt dubitationes, in quarum solutione non consentiunt Peripatetici, quemadmodum ex progressu apparebit, Porrò in his diluendis, consueta philosophantium progrediemur via, namque aliorum prius placita referemus, mox quid ipsi sentimus, adiiciemus. At qui vt apertè solutionem ordiamur, quidam ma

gnitudinem, atque denique ipsam quantitatem bifariam spectari posse censent, & iuxta propriam naturam, vt pote non ea ratione, qua naturalis, atq; ita contrario vacat, atque ad eam motio non erit, quomodo quantitatem in prædicamentis Arist. considerauit. Rursus vt instrumentum formæ naturalis consideranda venit, quo pacto perfecta vel imperfecta nuncupatur & ita contrarium extrinsecus habet vt puta ratione formæ cuius est instrumentum & cuius merito perfecta vel imperfecta dicitur. Sed vana est horum solutio nanque contingeret, vt per accidens ad magnitudinem esset motus, quinto enim de Phisico auditu Aristo. motionem in his prædicamentis reperiri docet in quibus contrarietas est, At cum in quantitate & magnitudine non sit per se contrarietas, neque igitur per se ad eā motio erit. Insuper ad substantiam motus esset, quoniam omnes censent ob suas qualitates substantiæ formas, contrarietatem habere (quemadmodum quinto phisi. monet Auer) veluti enim ad magnitudinem potest esse motus per se, quoniam contrarium secundum accidens habet; Cur igit in substātia, ita res nō se habeat, nulla ratio docet ita vt ratio cōponat, In eo genere est motus, inquo ē cōtrarietas, ergo vbi perse motus perse contrarietas, nā quarto phisi. & primo priorum dicitur, quod quando ad antecedens sequitur consequens necessario idem si vtrique addatur semper sequitur idem, quare si motionem contrarietas per se igitur motionem per se cōtrarietatem consequi necessarium est. Aliam igitur dubitatio solutionem querit, quæ ita se habet. Contrarietas enim (quemadmodum ipse Arist. docet) oppositio est duarum formarum, quæ se mutuo ex eodem subiecto expellunt, in quo non se compatiuntur. At qui subiectum quemadmodum Themistius, & cæteri Græci in Phisicis monent. Materia est forma substantiæ affecta, nam materia, vt materia, nullam formam habet, sed omnes potest recipere, formę quę simul in vno eodemque subiecto stare nequeunt contraria vocantur, quæ quidem ratio illi consentit, quæ hunc in mo

dum se habet, Contraria sunt ea, quę cum sub eodem pro ximo genere claudātur, maxime distant, Genus enim pro ximū oppositionis materia est. Nam genus inquit Auer. in Epith. Meth. refert materiam compositam. Quare quę formæ in materia oppositionis communicant & ab ea se expellunt contraria dicuntur. Hæc verò ipsa oppositio à magnitudine non est deneganda, Nam sunt magnitudines nonnullæ quę ex eodem se expellunt subiecto, atque in illo simul permanere non possunt, quamadmodum trium cubitorum magnitudo, simul cum ea, quę quatuor est, stare non potest, sub hoc videlicet precise termino. Quare cum hunc in modum, eiusmodi magnitudines se habeant, procul igitur dubio contrarietatem habent. Aristoteles verò à quantitate famosam contrarietatem ab omnibus confessam, negauit, quę inter formas inuenitur, quæ magis & minus secūdum gradum suscipiunt, quæ in passionibus atque passibilibus, qualitatibus dumtaxat reperitur, Atque hæc est omnium Gręcorum sententia magnitudinem asserentium secundum amplum & exiguum contrarietatem habere. Sed ab Arist. recedere videmur, qui rationibus compluribus magnum & paruum nullam contrarietatem inter se habere demonstrat, siquidem cum idem magnum & paruum ad diuersa relatum esse possit contraria igitur simul in eodem essent. At idem sibimet contrarium fieret, quare seipsum corrumperet. Demum magnum & paruum cū in se nō cōsistant, sed dicant respe ctum, contraria igitur ideo non posse ex se concludit; Sed hæc simul cum gręcis tollimus, qui asseruere non ex animi sententia, sed iuxta aliorum sententiam Arist. loqui, & rationes illæ, Logicæ sunt, quoniam apud naturam datur ita amplum quod exiguum esse non potest, ita de exiguo dicendum, sunt enim res à natura secundum maximum & minimum definitæ, neque tamen sequitur exiguum & amplum contraria non forê, quoniam ad diuersa relata idem amplum & exiguum esse potest, Nos enim postea docebimus non omne amplum omni exiguo opponi, sed

ei à quo ab eodem subiecto expelli potest; neque sibi met contrarium idem esse consequitur, nam ad diuersa, relatum dicitur amplum & exiguum, at oppositio respectu eiusdem esse debet, vt in commentariis de interpretatione & in Elenchis Philosophus monuit.

DVBITATIONIS SECVNDAE QVOrundam Solutiones, vt Alexandri, & Auerrois enarrantur. Cap. 28.

AT verò in secundæ dubitationis solutione, varia atq; multiplex est Philosophorum opinio, Nonnulli enim idem numero in accretione subiectum permanere censent, sed non simpliciter, idem enim numero quippiam bifariam dicitur, vel quia idem numero simpliciter sit. Ita quòd ipsum totum singulæq; eius partes, eædem præcise sint, quę ante motum fuere, quemadmodum diuinum & cœleste corpus se habent, quod idem numero ipsum atque singulę eius partes permanent, quo pacto caducum viuens idem numero esse nequit. Vel idem numero dicitur quippiam non simpliciter, propterea, quòd eadem partium permanentia non est. Quum continuo aliæ sint, atque ita quod sub lunarii globo est viuens idem numero dicitur. Sed vt omnia aperta fiant, singulos eorum modos referemus. Alexander quemadmodum sibi Auerr. primo de ortu ascribit, cui etiam ipse consentire censetur, idem numero viuens non simpliciter permanere, sed secundum quid opinatur, Namq; quodammodo materia & forma fluunt quodammodo non, Materia enim quæ ab ortu contracta est, permanet, quare & forma quę ex illius sinu est producta, humidum enim, quod calidi pabulum & alimentum dicitur, duplex est. Alterum quod radicale seu seminale vocant, quod ipsum semen esse asserunt, in membra coagulatum. Alterum est, quod ex alimento habet, est hoc, sanguis & concoctum alimentum, atque hoc ipsum potentia est, membra, nam ab innato calore in

membra commutatur, hoc cum in membra est mutatum, à priori humido minime secernitur: quoniam eãdem formam, atque esse sortitur. In priori itaque humido vt in sua arce anima residet, atq; hęc à principio vitę vsque ad illius terminum permanet. Quare & anima quæ in ipso collocata est, Alterum verò humidum ex alimento productum aboletur, & corrumpitur, in quo nõ prior anima; vt quæ in altero præerat suscipitur, sed noua generatur, quòd cum deficit pars animæ quoque deficit, quæ ibi collocata erat, atque causa, cur noua generatur forma, & corrumpatur causa est, quoniam nulla forma quæ in materia esse habet, materiam in qua est, neque secundum totum, neque secundum partem deserere potest, ergo fluxu materiæ forma fluit, ita cum noua oritur materia recens anima producta, ex illa est. Quare bifariam caducam viuens vnum numero dicitur, quodammodo simpliciter, nam ob humidum à principio ortus adeptum idem quousq; vita durat, permanet. Dicitur ẽt equiualentia atque analogia vnũ, quã quidem vnitatem ex aduẽtitio humido sortitur, per continuam enim partium generationem sub eadem figura atque situ conseruatur, quemadmodum fluuius idem dicitur, licet continuo alia sit aqua. At verò quoniam quę succedit aqua priori equiualens est. Iccirco idem numero secundum æquiualentiam dicitur. Sed ambigunt, si connatum humidum permanet nulla ergo erit, aduentitii humidi necessitas, Soluunt atque necessitas est, quoniam anima cum primum in lucem prodiit, in exigua magnitudine esse habet, per quam viuentis opera perficere non potest, ideo aduetitio humido eguit, quo in maiorem crescant molem membra, & anima, nouę animę generatione, ex aduentitio succo orta maior euadat, quæ antiquam sibi vnit, ita quòd ex ambabus vna numero fiat, verum pars progenita ab aduentitiis partibus, separatur. Nam & si omnes eiusdem sint speciei posteriores tamen à priori pendent, ab illaq; reguntur. Prima itaque erit dominans, alię deseruientes, neque tamen putandum est, connatam

partem

partem non resolui, quodãmodo enim resoluitur, vtpote paulatinè, quę cum omnino aboleta est, totum viuens interit, & licet in senio humorum copia excrescat, sitq́ plurium carnis, vita tamen non permanet quoniam primum vitę principium peremptum est, quare quomodo idem numero permaneat accretionis subiectum secundum hos satis constat, Sed horum sententiam sic arguunt, quę enim eandem rationem atque naturam sunt sortita, quòd vni & alteri cõuenit: atqui connatum humidum & alimentitium eandem naturam habent, idem igitur vtrique conuenie t, vtrumq́ue igitur humidum resoluitur, eum aduentitium resoluatur. Secunda propositio Aristotelis est secundo de animalium ortu cap. quarto, vbi docet materiam generationis atque alitionis eandem esse. Iam verò alitio nõ ad viuentis salutem necessaria foret, sed ad incrementum. Deinde adnatum humidum, aut in vna tantum inuenitur parte, aut vndequaque diffunditur, non primum, cum maior ratio non sit, quòd sit in vna quam in reliquis vndequaq́; ergo diffunditur, quod fieri nequit. Est enim admodum exiguę magnitudinis, quare ad tantam molem minime extendi potest. Denique hoc humidum impurius fieri non potest nisi sui contrarii permixtione: quare sicci permixtione at contrarium misceri nequit, nisi contrariũ deleatur, à sicco igitur commixto connatum humidum deletur.

AN CONNATVM HVMIDVM VNA cum vita permaneat, prima opinio. Cap. 29

CAeterum priusquam aliorum sententias referemus aperiendum erit, si ad natum humidum vna cum vita per durat. Hoc enim est fundamentum, cui enarrata innititur opinio, qua in re alterantur Philosophi. Sunt quidam qui connatum humidum totum resolui, ita quod nihil illius in fine vitę permaneat, asseuerant. Et quamuis totus hic humor in vitæ decursu deperdatur, reparatur tamen &

pro actionibus & pro vita, verum non semper, & in quacunque temporis ætate, reparari posse, monent. Sed ea tantummodo tempestate hęc permutatio fieri solet, qua humoris excreuerit copia, & validiori calori paruerit. Quandoquidem dum tenuior satis & aereus magis euadit, à calore magis agitatur, & ex aduentitio humore fortiores vires assumit, ętas autem quę talem obtinuit, illa est, quam adolescentiæ vocant, in qua humor satis abundat, cum propè originem quisque in eo constitutus reperiatur, cũ itaque calor adolescentię, & iuuentutis tempore æquales vires obtineat, hęcque siccitatem maiorem, illa vero humiditatem sortita sit salubritatis iste profectus pueritiæ potius quam iuuentuti conueniet. Atque hoc ipsum Arist. confirmant, qui libro de longitudine & breuitate vitæ, innatum calore flammę, quę humido vnctuoso pabulatur, assimilat, quemadmodum enim oleum flamma consumit, ita, connatum humidum innatus calor. At alii connatum humidum, quod ab exordio est acquisitum, vitam concomitari defendunt, quod non tantum non ęque perfectum, verum nullo modo instaurari posse defendunt. Et ideo non ex connato humido, sed ex alimentitio nutritionem, fieri testantur. Nam si totus radicalis humor in corpore consumeretur, non idem numero indiuiduum in toto vitę decursu maneret, nam materia trãsmutata, quæ indiuiduationis principiũ est, singulare alterum euaderet. Amplius quoniam amputatum membrum renouari non potest, indicat, primordialem humorem, nullum posse instauramentum suscipere: nam cum membra illa ex semine originem traxerint suam, ex alimento sumpto similis materia progenerari nõ potest. Adhuc si humor hic siccescens refici posset, ęque perfectum, veluti qui beneficio alimenti consurgit, & melior interdum euaderet, vita igitur in nobis perpetua fieri posset. Nam & caloris actione in humorem sibi cognatum, ex quo vires suscipit vita perdurat, vt in commentariis de longitudine & breuitate vitæ dicitur. Cum enim perfectiorem sedem semel calor obti-

nuerit cum similem deincps semper obtineat,nihil prohi
bere videtur, eo quod cum alimentitio eandem penitus
conditionem subiret. Denique si vtrique humores instau-
rationem susciperent,senex iuuenis fieret,& iuuenis puer,
quod natura non patitur. Namque iuuenis vbi primo per
fectiorem substantiam connaturalis humoris acquirere
incipiat,cum calor non ociter ab operatione desistat, diui
tius in ea reluctatur,vsque adeo demum proficiet quoad hu
morem satis vberiorem pro vitæ expectatione quo circa
amplius perduraturus puer euaderet, quod seni cõtigeret
si consimilis ratio fiat. Sed arguunt quidam,horum senten
tiam, & quòd à peripatetica doctrina aliena sit, demon-
strant. Philosophus.n. primo de ortu,non secundum ma-
teriam sed secundum formam accretionem fieri docet,
quoniam secundum formam quæ augentur permanent,
Materia vero fluit & refluit vniuersa: totus igitur hu-
mor quandoque mutabitur. Insuper aduentitium & con
natum humidum eandem sunt sortita naturam, ergo vno
instaurato, & alterum instaurari poterit: quę autem ean-
dem subeunt naturæ conditionem in cunctis simpliciter
se habere necessum est. Amplius aut durãte vita à natiuo
calore humidi naturalis aliqua dissoluitur portio, aut
nulla, si quædam numero idem, simpliciter de omnibus
dicendum est: quare totus ille humor quãdoque non erit,
qui à principio generationis habetur,si vero nihil penitus
illius absoluitur,agens contrarium debitę materiæ,proxi
mum propriam actionem non poterit exercere. Primum
enim ille humor est, in quem primo calor egerit, ipsum
igitur necessario resoluit. Item natiuus calor, ea ratione
alimentitium mouet, vt seminali aduentitius consimilis
fiat, in vtrumque igitur vires suas pariter exercebit con-
sumet & instaurabit vtrumque. His itaque rationibus
humorem in corpore vniuersum disolui instaurarique,
vita manente demonstrant.

TERTIA OPINIO DE SEMInali humido, & illius euersio. Cap. 30.

QVidam vero alii, vt ennaratas rationes effugiant, humorem nunquàm pro vita, verum pro actionibus tantum meliorem instaurari fatentur, adeo vt à generationis exordio, deterior assidue fiat, humorem enim hunc connatum, in quo sese agitat calor, intelligunt, è quo semen illi à principio coniungitur, quem assidue alterat, nunquàm in vita corrumpi, à propria substantia, sed a qualitate commutat, qua interdum pro actionibus melior redditur: & ideo cum temperaturæ mutantur: vt dum biliosus puer, sanguineus fit, aut quouis modo, alius in aliam naturam mutatur, qualitate tantum, & non substantia, mutatum fuisse, ferunt: quoniam illa instaurari, aut corrumpi, ab innato calore, non potest. Sed horum sententia à veritate plurimum aliena est: nam si pro actionibus, & non pro vita, humor tantum alimentitius proficeret, ergo ab actionibus animæ vita adempta esset, qua nihil absurdius. Namque vita natiui caloris, in sibi cognato humore mansio est, ea autem mansio caloris actio est. Amplius si pro actionibus ergo pro vita humor aduentitius proficiet, quippe vita aut ipsa est actio, vel sine actione esse non potest, vt in secundo de anima satis constat, viuere enim viuentibus est esse. Insuper, si ꝓ actionibus & nõ pro vita humor ꝓficeret quo ergo modo digestio melior prodit: Si vita, quæ est caloris mansio, non conualescit digestio enim alitioni, hæc vero, vitæ deseruit, hac igitur conualescente vt vita proficiat necessum est. Quod rationi consonat, nam natiuus calor conualescit, qui alitionis proprium instrumentum est, qui etiã, & proportionatum magis sibi reddit humorem & qua actione, vita diuturnior esse censetur: quum vero ad qualitatem accidentalemque reparationem refugiunt, non recte faciunt, nam alitio non accidentalis, sed substantialis mutatio est: quo nam igitur modo qualitate

tantum humor ille proficere dicitur, nisi velint alitionem alterationem esse, quod ridiculum est, nam totum membrum nutritionis beneficium suscipit: ea preterea qualitas primordiali humori natura consentit, aut potius violentiam infert vim autem inferre nulla ratio docet: quoniam naturali quodam instinctu à natiuo calore patet: quare si naturalis extiterit, substantialem ipsius formam consequitur. Eo quod naturalia accidentia, quæque à forma procedunt, indeq; vnde illa ipsa exorta est, originem trahunt. Quare cum sola qualitate præstantiorem humorem reparatum esse voluerint, clam secundum substantiam fuisse instauratum concedunt his itaque traditionibus & consimilibus horum arguunt sententiam.

PROPRIA OPINIO DE HVmido connato. Cap. 31.

CAeterùm quid nobis videtur adiiciendum est. Nos itaque ab Alexandro & Ioan. Grãmatico non recedentes, neque vniuersum primordialem humorem consumptum esse, vita permanente, (quemadmodum quidam putarunt asserimus quippè (vt Ioann. Gramat. testatur) vita perpetua fieri posset. Nam si succedentes per alitionem partes per tempus vitam reficere possent: ita & semper. Nam (vt ipsi quoque aiunt) succedentes continuo partes, eandem naturæ conditionem cum prioribus habent: eadem quare vtrisque conueniet ratio. Neque dissoluitur ratio, quoniam continuo natiuus calor imbecillior fit, quandoquidem humidum exiccatur, & ideo pro vita ineptum euadit, multifariam enim qui hæc proferunt decipiuntur, Nam (vt ex Phisicis constat) forma in proprium subiectum per se agere nequit: licet ex accidenti quare cum im primordiali illo humido natiuus calor, vt in proprio consistat subiecto, eius igitur humidum per se dissoluere nequit, quare si illud dissoluit, ex accidenti. Demum si humidum radicale æque perfectum cum resoluto perfe-

ctius pro vita restaurari contingit, (vt ipsi fatentur) non igitur imbecillior, sed vehementior natiuus calor, atque potentior euadit. Neque etiam quemadmodum alii alleuerandum est, qui nullo pacto dissolui testantur, nam si continue impurior primordialis humor euadit, quoniam siccescit. Non enim impurior fieri potest nisi sui contrarii permixtione at contrarium, contrario non permiscetur, absq́ contrarii corruptione, connatus igitur humor continuo deperditur. Quare vna cum Alexandro Auer. & Grāmatico sentiendum, primordialem illum humorem continuo dissolui, non ita, quod totus dissoluatur, vita permanente, sed ipsius portio. Cum vero omnino consum ptus est, ita quod eius quippiam non permanet, tunc vita desinit. Quare cum continuè ipsius quippiam deperdatur, atque siccescat, vitæ ineptum continue euadit, & calor imbecillior fit, atq́ remissior, quoniam sui subiecti deperditione deperditur: & cū omnino fluxit, amplius vita nō permanet: quod Aristo. dixisse videtur primo de ortu, quando nutritionem aquę ex vino permixtioni assimilat, conspicuum in hac mixtione est, primum vinum permanere quamuis imbecillius euadat, atq́ impurius, quando primordialis humor, cum aduentitio permiscetur, permanet: licet impurior continuo reddatur. Oppositæ modo soluendæ rationes sunt. Naturalis enim humoris continue aliquid deperditur, quēadmodū alimentitius humor deperditur: magis tamen hic fluit, cùm aduentitius sit, in quem suam actionem natiuus calor exercere potest, ex hoc enim pabulatur. Nam in primordialem illum homorem perse agere nequit, cum nulla forma per se in motu alterarationis agere, in proprium subiectum possit in quod si agit ex accidenti prouenit, quemadmodum de Medico, se ipsum per accidens medetur. Arist. dicit atq́ iccirco magis alimentitium quam naturale dissoluitur humidum. Neque secunda ratio momentum habet: nam ob viuentis salutem aduentitium humidum necessarium est. Ita enim cum natiui caloris in proprio humido sit māsio quamdiù

igitur natiuus permanet calor, vita quoq; manet, si modo alimentitius humor non accederet, operteret natiuum calorem, vt pabuletur alaturque in proprium subiectum suum exercere actum, quod citò, quoniam deperderet, viuens periret, quare vt natiuus calor permaneat & ex consequenti viuens, alimentitio egent viuentia alimento. Neque tamen putandum est, quemadmodum tertia ratio suadet, primordialem humorem intendi, non enim intenditur, sed maior euadit, addictione, (vt Ioannes Gramm. testatur) cum enim aduentitio permiscetur humori, maior euadit, quemadmodum si lapillorum cumulo alii super addantur, maiór cumulus euadit, Aristo. verò testimonium plurimum nobis conducit: nam quemadmodum flamma paulatim oleum consumit, ita natiuus calor paulatim primordialem resoluit humorem, & veluti oleo deficiente deperditur flamma, ita primi humidi defectu calor natiuus fluit. Quare vt vnde nostra fluxit oratio reddeat. Id quod augetur quodammodo vnum numero à principio ortus, vsq; ad vitę finem manet, merito primordialis humoris, at alterius humoris beneficio, nō nisi æquiualentia idem numero manet.

QVOD IDEM NVMERO SECVNDVM æquiualentiam id quod augetur permanet, quorundam opinio. Cap. 32.

AT verò qui primordialem humidum vita permanente, dissolui affirmant, idem numero simpliciter id quod augetur non permanere asseuerant, sed secundum æquiualentiam tantum: nam fluxu materiæ fluit quoq; forma, quandoquidem forma, quę à materia pendet, illa resoluta permanere non potest, formę enim à materia separatio illius est corruptio. Et iccirco cum alimentitius humor in viuentis demutatur substantiam, noua quoque anima producitur, quoniam præexistens non potest nouam materiam perficere & propriam deserere. Quarè cum omnes

viuentis partes fluant, quę ab exordio vitę ortum trahũt, quarum fluxu, cum forma quoque fluat, idem numero simpliciter, itaq; viuens permanere nequit, quarè ęquiualentia tantum, idem numero manet. Quoniam per nouum alimentitium humorem, in eodem situ atq; figura conseruatur. Partes .n. humoris succedentes prioribus, vtque deperditę sunt, ęquiualent, quarè cum Philosophus idem numero id quod augetur permanere testatur ratione formę non intelligendum est, quod simpliciter eadem numero permaneat forma, sed secundum ęquiualentiam, quoniam succedens priori ęquiualet. Sed multifariam horũ opinio argui solet, & pręcipuè ex verbis Arist. qui primo de ortu & interitu, discrimen inter alitionem & generationem ponit. Nam in nutritione quod alit idem fit, cum eo quod alitur, in ortu verò non idem, sed simile quarè si noua forma fieret, non idem, sed simile ei quod nutritur fieret, nutritio igitur ab ortu non est secreta, noua igitur forma non generatur, sed pręexistens alimenti materiam perficit. Et secundo traditionis de Anima, ad viuentis salutem nutritionem esse dicit, non autem spetiei, quemadmodum generatio se habet, si ergo noua producitur forma ad spetiei salutem nutritio foret, eodem etiam libro orbata, inquit, spontaneam generationem habentia, alterum quale ipsum non generare, si in nutritione noua forma adueniat, vniuersa igitur viuentia, alterum, quale ipsum producerent, enutriuntur enim, & si ex putri sint orta. Et primo de ortu, dicit, carnem augeri secundum formam, & non secundum materiam, quia hęc non permanet, illa verò permanet, ergo fluxu materię, non fluit forma: atque ibi de mensura aquæ exemplum largitur quæ vna numero manet, quamuis aqua continuo alia, & alia fit, asseritque mensurę formam, aquę verò materiam, persimilem esse, opinatur igitur formam permanere, & fluxu materiæ non recedere, denique id quod mouetur, idem numero manere debet, id verò quod augetur mouetur, hęc verò simpliciter idem numero sunt & non ęquiualen-

tia, hunc igitur in modum quod augetur vt se habeat oportet. Cæterum hæc, quæ ab his proferuntur, & si efficaciam habent contra eos, qui idem numero secundum equiualentiam viuens permanere asseuerant, aduersus tamen Alexandrum, & Auerroim, momentum quidem non habent, namque, explicatum est, naturale humidum, quod per totum viuentis corpus diffusum est, vita permanente perdurare; quarè anima, quæ ab exordio progenita est, quæ dominans est, à qua viuens, regitur gubernaturque, permanet, at alterum humidum ex quo noua anima producta est, quę priori deseruit, & ministrat, simul cum suo subiecto deperditur, quarè ratione formę dominantis, idē numero permanet viuens, licet non illius merito quę recens producta est, quod ex Arist. conspicuum faciunt: qui primo de ortu, dans differentiam inter generationem & nutritionem, vtriusque naturam ignis exemplo aperuit. Si enim ligna ad præexistentem ignem apponantur, erit ignis accretio, & si perse ligna accēdatur, eiusdem erit generatio. Quarè his verbis, nouam formam in nutritione fieri Arist. testatur. Verum quoniam priori coniungitur non absolute generationem, sed nutritionem nuncupat, eodem libro, carnis generationem, dicit, esse nutritionem, quarè secundum Arist. nutritio est nouæ formæ generatio, alitio tamen dicitur, vt priori copulatur coniungiturq́. Quod etiam Auer. eo libro confirmat: ait, enim, vt homo, hominem generat, ita etiam illud quod crescit, debet esse agens idem cum forma partium generādarum secundum spetiem, non autem dicit Auer. secundum numerum, quoniam quod idem numero est, spetie quoq́ est: ob nouę igitur materiæ aduentum nouam formam generari opinatur, quę priori copulat̃, quod ratione cōfirmari pōt, si nāq; nutritio generatio non esset cū corruptio eē nequeat, vt perspicuū ē, accretio igit̃ aut latio, vel alteratio erit, Atqui cū nulla harū sit mutationum generatio igit̃ erit, noua igit̃ forma gignitur. Verum quoniam nō seorsum nutritione res orit̃, non absolute generationē,

sed generationem eam vocitat Arist. & ideo non simile, sed idem per nutritionem fit, quoniam per se, & seorsum quicquam non ortum est loco, & subiecto secretum est, & ideo ad salutem eius quod alitur, quoniam idem cum eo fit, alitio est, & ideo licet, quę ex putri orta sunt, se nutriant non tamen generant, quoniam generatio est alicuius perse & seorsum existentis, quemadmodum Arist. dicit. Dicitur verò secundum formam & non secundum materiam, caro augeri, quoniā forma per se permanet, si verò fluere sibi contingat, per accidens, vt puta ratione subiecti. Et ideo caro secūdum formam permanet, ipsa enim est causa permanentiæ, interitus autem materia causa est: & ita per accidens, hæc mensuræ assimilatur. Nam quemadmodum hæc per se permanet, ita caro merito formæ, aut exemplum est, de forma ab exordio generationis quę permanet ab his igitur, & consimilibus rationibus Alexandri, atq; Auer. opinio defendi potest, sed an Aristoteli atque rationi consentiat postea docebimus.

OPINIO IOANNIS GRAMMATICI & Latinorum. Cap. 33.

IOannes Grammaticus, Diuus Thomas, Albertus, & ex Latinis alii complures, idem numero quod augeť merito suæ formæ, vt pote merito Animæ, permanere censuit, quamuis enim materia fluat, & defluat, anima tamen semper manet, non enim materiæ fluxu deperditur, immo ea animæ portio, quę resolutæ materiæ præfuit, ad præexistentem contrahitur, & cum alimenti succus accedit, se ad illud perficiendum extendit. Quarè cum eadem numero permaneat anima in toto vitæ decursu, idē numero igitur simpliciter quod viuit manet, vnitas enim à forma rei prouenit, sed ambigunt, hæc anima forma est in materia, contrahi igitur & extendi non potest. Soluunt eorum quidā, vt qui caduci animalis animam diuiduam esse defendunt, atque aiunt, quòd hoc animæ vegetali, & sensitiuæ, quo-

niam inter materiatas formas perfectisſimæ ſunt,competit, ſolius igitur animæ eſt,extendi & contrahi ſe, & ideo inquiunt, ignem non verè augeri nutririq́, quoniam ipſius forma non contrahitur, extenditurq́, hanc ipſam ſententiã Ari. exẽpla,quorũ antea meminimus confirmant,puta de mẽſura,& aqua,nã quẽadmodũ alia & alia cõtinuo eſt, ita viuentis materia cõtinuo fluit. Et vt menſura,vt puta, vas idẽ numero ſemper permanet, ita viuentis aĩa in toto vitæ decurſu vna numero permanet,& vt aquę mẽſura in terdũ maior,& cũ aquæ copia maior ingreſſa,menſuram faciet,interdum minor,vt cum eius portio aliqua egreditur,ſic anima interdum maior,interdum minor,eadem numero exiſtens euadit. Vt hæc conſpicua magis fiant. Grammaticus opinatur, id quod augetur materiam minime eſſe,nam permanere oportet,quod inctementum ſuſcipit, materia autem cum defluat, continuo incrementum ſuſcipere nequit, & ob eandem cauſam, neque quòd ex vtriſque partibus, materia inquam, & forma conflatur, quoniam hoc non niſi ſuæ partes eſt,quod igitur accretionem ſuſcipit,ſola forma, vt puta,vegetalis anima eſt, hęc enim permanet, quarè cum dicitur carnem augeri, carnis formam eſſe auctam intelligimus, Et quamuis forma creſcat, non tamen, quatenus forma: omnis nempe forma creſceret & p̃cipue quæ ſeparata eſt, quoniã hæc maxime forma eſt. Conſimiliter neque vt in materia conſiſtit, augetur viuentis forma:ita enim omnis,quæ in materia forma eſſe haberet creſceret. Augetur itaq́ forma quatenus quanta,neque eſt abſolute quanta,ſed verbi gratia,vt tricubita,vegetalis itaque anima ea ratione.qua magnitudine eſt affecta, quoniam eadem numero permanet, eſt quæ creſcit,& quæ fluxu materiæ non deperdit,ſed ad eã quæ remanet contrahitur,& cum noua ſuccedit,ad illam perficiendam ſe extendit. Sed dubitat Grammaticus namque materia fluente eadem numero permanere non poteſt, anima, cum ipſius eſſe in materia conſiſtit. Reſpondet, & inquit,quòd ſi ſimul omnes materię partes coniungantur

ita quod omnes simul desinant, forma vtique in materia consistens, aboleretur. At secundum aliquas portiones recedat, secundum aliquam accedat; non est opus vt deleatur, rem hanc exemplo declarat, siquis enim vmbram in fluuio ab arboribus propè existentibus factam considerauerat, eadem numero semper vmbra permanet, quæ in aqua consistit, aqua tamen eius subiectum secundum partes alia cõtinuo fit, at si vniuersa tollat aqua, vmbra statim deperditur, hoc idem in eo quod augetur inspicere licet, id quarè quod incrementum suscipit forma viuentis est, magnitudine affecta, quoniam ipsa vna numero manet, iccirco noua anima non producitur. Quarè accretio, & nutritio fit: sed quę pręexistat, nouam materiam perficit atq; extendit. Consimiliter cũ decrementum fit animæ portio nulla deletur, licet materiæ defluat pars.

IOANNIS GRAMATICI ET aliorum opinio euertitur. Cap 34.

SEd horum setnentia vana est, verum, vt quæ aduersus hos sumus dicturi, conspicua fiant. Eorum dicta per capita recensebimus, primum itaq; fieri non posse demonstrabitur, vt materię fluxu forma permaneat. Secundum forma in materia consistens, materiam ex qua producta non est, perficere non potest. Tertium materia fluente, formam contrahi non posse, mox formam non esse, quæ accretionem suscipit. Atque primum ita demonstrandum aggredimur, forma omnis, quæ ex materiæ sinu producta est, materia perempta aboletur. Forma verò, quæ accretionem facit, cum vegetalis anima sit, ex materia producta est, materia ergo aboleta recedit, neq; obstat, quod Grammaticus dicit, quod si tota recederet materia, forma periret, nempè hęc anima diuidua est ob subiectum, tota igitur anima in toto subiecto est, & pars in parte, tota igitur anma totius corporis actus est. Pars autem animæ partis corporis actus, atqui actus, ab eo cuius est actus, non sepa-

ratur, formæ enim separatio illius est corruptio (vt 4. phis. constat) quare pars animę, cum à parte materię separatur, corrumpitur, quod Arist. 2. de anima, confirmat,
16 quando veteres laudat, qui animam non posse à corpore separari, credidere, quarē si hęc anima quæ in hac materiæ portione consistit, illius actus est, ab hac igitur portione, separari non potest, sed cum separatur corrumpitur, ad
19 idem 2. traditionis de Anima. Aristo. Quando animæ facultates loco & subiecto, non esse secretas demonstrat, inquit, Anima in toto viuente, vnam numero actu esse, potentia verò plures, & cum viuens in partes partitur, actu plures euadit, partione igitur materiæ anima quoq; partitur, & non in præexistentem materiam se contrahit: quin immo parte deperdita, aboletur. Quandoquidem partes animalis decisę diù à toto separatæ viuere non possunt, quemadmodum Arist. docet. Deniq; si anima ab hac materię portione, separari potest, igiť ab illius vnaquaq;, quare ab vniuersa materia, quandoquidem totum non est, nisi suæ partes, (vt Ioannes Grammaticus testatur,) atque quód consequitur, patet, quoniā partes omnes quæ fluunt, eiusdem rationis sunt, eandē ergo conditionem sortiuntur. Quarē si ab vna, ab omnibus quoque partibus separari potest, atqui si potest, actu, igitur quandoque sine vniuersa materia consistere potest, nam si quod fieri potest, in actu ponatur, nullum absurdum sequitur, neque tamen rationem dissoluunt, quòd secundum partium successionem, ab vniuersa materia, anima spoliari potest, sed à tota simul nequaquam, Quoniam Auer. demonstrationem 3. Cœli euertunt, quoniam Auicen. reprehendit, qua
67 demonstrat non posse remitti elementa secundum qualitates, quin etiam secundum substantiam non remittuntur. Si enim (inquit) forma ignis stare potest sine. A. verbi gratia caloris gradu, ipsa nō variata, ergo sine. B. gradu & ita simul sine omni calore. Patet iam, quod quis Auer. rationi obuiare posset, quod licet simul ab omni gradu spoliari non possit, secundum graduum tamen successio-

nem, ab omnibus ſpoliatur. Nam cum ſimul omnes auferuntur ignis forma deletur. Iam verò ſi forma hęc portione materię peremptа, ad aliam ſe contrahit materię partē, an ne illam perficiat, inquirimus. At quod non perficiat, dici non poteſt. Propterra quòd omnis forma ſubſtantiæ quę in materia conſiſtit, materiam perficit, atꝙ in eſſe conſtituit, quemadmodum ex formę ratione conſtare poteſt. Inſuper cum hęc animæ portio, eandem naturam cum reliquis habeat. Quemadmodum igitur ceteræ, materiam perficiunt, hęc quoque materiam conſtituit, atque perficit, quod fieri non poſſe, ita demonſtratur, Namque cum hęc pars, à priori numero ſeiuncta ſit, eadem igitur materia, à duabus formis, ſolo numero ſecretis perficeretur. Ad hęc pręexiſtens pars, materiam perficiens, illam ineſſe conſtituit. Adueniens igitur anima, vt quæ influxa materia erat, ſuſcipi non poteſt: quoniam in ſubiecto quod in actu ſimpliciter exiſtit, non ſuſcipitur, ſed forma accidentis, eſt etiam eiuſdem naturæ. Quarè veluti illa informem materiam conquirit, ita & hæc, neque, quòd prior anima conſtringatur, quemadmodum aer, cum inſpiſſatur dici poteſt. Nam cum condenſatio abſꝙ latione fieri non poſſit, in locum igitur, anima quę conſtringitur, per ſe moueretur, non igitur ſublata materia forma permanere poteſt At figuræ exemplum in fluente aqua, conſiſtentis nobis obſtare videtur. Sed neque obſtat, immo eorum ſtultitiam maxime demonſtrat. Nēpe figura accidens eſt, quod in ſubiecto eſſe habet, à quo inquit Philoſophus, in prędicamentis ſeparari nequit. Aqua igitur fluens, cum variatur figura eadem numero non permanebit, ſed eadem ſecundum equiualentiam. Ad huc accidens nullum (vt peripatetici docent) de ſubiecto in ſubiectum migrat, figura accidens eſt, igitur ex vno in aliud numero ſecretum ſubiectum non migrabit. Non minus eorum, ſecundum dictum abſurdum eſt, forma enim pręexiſtens aduentitiā materiam, ex qua producta non eſt, perficere non poteſt. Sed ſi perficienda noua materia eſt, vt noua forma educat

oportet. Siquidem, primo de ortu Philosophus inquit, cuiusque formæ quæ substantia est, corruptio, alterius est generatio. Quarè si alimentum cum in viuentis substantiam mutatur, propriam deperdit formam, nouam igitur generari formam in eius materia necesse est. At digna, Philosopho, solutio ea non est: quando dicit, nouam animam fieri, quando præexistens nouam perficit materiam, quam prius nõ perficiebat, atqui iccirco generari dicitur. Hi enim generationis naturam, euertunt, quandoquidem generatio formæ exitus est, de potentia ad actum, quemadmodum etiam monet Auer. 12. Meth. ergo ea forma producitur, quæ cum actu non existit, sed potentia tantũ, à generante ad actum deducitur. Amplius à nobis demonstratum est, fluxu materię, formam deperdi, ergo cum noua materia succedit, noua forma producitur. Nam si in decremento, fluxu materiæ, fluit forma, in accretione quoq; noua succedente materia, noua forma succedit. At hæc ex his, quæ pro Alexandri subsidio diximus, conspicua fieri possunt, demonstrauimus enim nouam formam, ob materiæ aduentum produci.

TERTII DICTI, EVERSIO. Cap. 35.

SEd age modo, absurda enumeremus, quæ tertium, eorum placitũ manifeste sequuntur, quod erat. Quòd anima contrahitur atque extenditur, noua accedente materia, atque illius egressu, si namque contrahitur, & extenditur anima, nouę materię ingressu, atque recessu, anima igitur è subiecto, in subiectum migraret, anima namque, quæ in fluxa materia existebat, in nouam materiã migrat. Quarè quę fabulabantur, Pithagorei verè affirmari possent. At qui latinorum quidam, conantur id destruere, & migrationem bipartiri asseuerant. Altera namq; est, quam totalem appellant, altera verò partis, migratio vocitatur. Primam verò migrationem Arist. non confitetur, sed secun-

dam bene concedit, quę in partium successu consistit, nam in toto vitę decursu, nulla materiæ pars quæ à principio ortus suam traxit originem, permanet. Quarè cum anima eadem numero permaneat, in nouam igitur succedentem materiam migrat, migrationem igitur, quæ secundum partem est, Arist. non negat, sed eam, quam Pithagorei confitebantur. Sed vana est horum sententia, nam cum hæc migratio, mutatio quędam sit, sub aliqua igitur, mutationis spetie collocabitur, quandoquidem, nil in genere est quod sub aliqua illius spetie nō est. Mutatiōis verò species quatuor sunt, generatio & interitus, latio, incrementum decrementum, & alteratio. At generatio partis migratio non est, vt perspicuum est. Quando enim migrat anima, nihil producitur neque interitus, quoniam nulla deperditur forma, non incrementum & decrementum; nam extensio formæ secundum eos est in accretione, in decretione retractio. At rarefactio, & condensatio secundum ipsos non incrementa & decrementa sunt, sed alterationes. Quoniam istę mutationes sine accessu & recessu materię fiunt. Anima igitur cum constingitur, & migrat secundum alterationem moueretur: quare cum per se migrat, per se igitur alteratur. Quod fieri nequit. Quandoquidem corpora sunt, quæ per se alterantur. Quod enim per se mouetur (inquit Arist. .6. Phis.) corpus est. Anima verò corpus non est, per se igitur alterari non potest. Neque latio hęc migratio est, quoniam per se in loco moueretur anima, ex accidenti enim fieri non potest, quoniam subiectum in quo est, per se non migrat, non enim pars preæxistens migrat, quoniam fixa ponitur, neque addita vt constat, ex accidenti igitur non migrat. Quarè cum sub aliqua mutationum spetie migratio hæc nō comprehenditur figmento simile est, asserere animam secundum partem migrare. Posteriores verò alium fingunt modum, atque inquiūnt animæ migrationem, seu egressum vel ingressum in subiectum, non esse moueri ex subiecto in subiectum, sed est materiam perficere, atque eandem

desinere

desinere perficere. Nam ob materiæ dispositionem vel ineptitudinem materiam perficit, desinitq; eandem perficere, & hanc ipsam mutationem, Simplic. 6. Phisicorum illuminationem & obscurationem, nuncupat, illustrat enim materiam, cum eam perficit. Atque inesse constituit, eamq; obscurat, quoniam ipsam perficere disinit. Atque hęc ipsa opinio persimilis eorum opinioni est, qui cum certum definitumque numerum constituerent animarum singularem hominem desinere non posse, asserunt, quin alius in lucem non prodeat, qui ab interempti hominis forma perficitur. Animę igitur migratio, iuxta hos, illustratio est, atque obscuratio, quæ cum motio nō sit, tempore non perficitur, sed momento. Ipsa enim nunc perficit, & perficere materiam desinit. Extensio igitur animæ ad nouam materiam est, eam perficere. Retractio, constrictioque est quoniam perficere desinit. At qui se ipsam horum opinio euertit. Nam si eiusmodi migratio materiæ est perfectio: cum perfectio ab eo cuius est, non separetur, (vt. 2 de Anima dicit) hac igitur materia desinente, quę ab anima illustratur, anima quoque deletur, Consimiliter si animę retractio est, desinere materiam perficere, desinit ergo esse actus. At actus à materia separatio, est illius corruptio 4. Phis. vbi Philosophus locum, formam non esse demonstrat, quoniam locus separabilis est ab eo cuius est locus, non autem forma, sed cum primum separatur corrumpitur. Quando igitur anima desinit esse materiæ actus deletur 2. etiam de Phis. auditu formam in materia consistentem, secundum esse ab eadem materia separari nō posse, Arist. monet. Et 2. de Anima diuersorum corporum actum vnam numero formam, non decet, vna igitur numero anima resolutæ & aduentitiæ materiæ actus esse non potest. Neq; profecto digna Philosopho peripatetico ea solutio est, non confiteri Arist. animam esse actum diuersorum corporum, quæ spetie secernuntur. At diuersorum quæ numero tantum separantur, esse posse. Nam ratione, qua Philosophus vtitur, quemadmodū Pythagoreos arguit,

ita ipsos arguere possumus. Actus.n.inquit,nõ separatur ab eo cuius est actus,& propria forma, in propria semper cõspicitur materia,à qua nunquàm separari valet. Deinde si anima desinit esse actus, igitur desinit esse anima. Quarè simpliciter deletur. Nam id simpliciter corrumpi dicitur, quod nomen & definitionem deperdit. Iam verò si aduentitię materię, anima actus esse posset, antequàm alimenti succus in carnem, vel in quod vis aliud membrum verteretur, viuens esset, atque animam haberet. Siquidem tunc quidpiam est, quando eius forma est, quoniam forma simul est, Cum eo cuius est forma, quemadmodum 12. diuinorum Arist. testatur, atqui forma alimentitii succi, priusquàm in membrum succus vertatur consistit, ergo alimentitius succus antequàm in membrum demutetur, illud foret membrum, in quod vertendum erit. Denique aduentitia materia à præexistenti, in qua anima contracta erat, loco secernitur, quando ergo alimentitius humor succedit, perficitur ab anima in ea quæ præerat materia existente. Nunquid in alimentitio succo recipiatur, inquirimus. At dici non potest quòd in nouo humore non suscipiatur, quandoquidem forma quę in materia esse habet in eo consistit subiecto, cuius est actus, & perfectio. Quare in alimentitio succo suscipitur, & veterem materiam derelinquit. At qui istę materię loco secernuntur, anima igitur è loco in locũ transmutabitur per se, quod fieri non posse, ipsi quoque confitentur. Hæc verò enumerata absurda eorum multa illos arguunt. Qui omnem animam indiuiduam esse confitentur, ita quòd anima quæq;, quæ in toto viuente est, ipsa tota in toto, & in eius quaq; parte cõsistat. Aduersus quos nostra quoque instituitur oratio. Verum vt conspicua opinio fiat, eorum quidam animas perfectorum animalium, indiuiduas esse, confitentur. Sed quæ imperfectorum sunt, diuiduę sunt. Et iccirco aiunt non eodẽ modo accretionem alitionemque in perfectis animalibus, quemadmodum in perfectis fieri. Alii vero cuiusq; viuentis indiuiduam animam, testantur. Dicunt tamen, quòd &

sit anima, à materia necessario pendet, & sine ea esse nequit, hanc tamen, vel illam definite non respicit, quoniam indiuidua sit, potest hanc materię portionem, perficere, desinere, & aduentiam perficere, itaquòd sub pluri & minori materia esse valet, desinit vero materiā perficere, cum ad formæ votum, materia inepta redditur, neque tamen deletur anima, sed ad materiæ residuam partem se contrahit, & cum alimentius succus accesserit, quando recte pręparatur & affectus fuerit, hunc ipsum succum, quæ se contraxit anima perficit constituitque. Quarè nihil absurdi sequi, opinantur, quod indiuiduum ita est varias diuersasque numero materias perficere secundum successionem. Sed vana quoque est horum sententia, quemadmodum ex retro dictis conspicuum fieri potest: id tamen præter omnem rationem est, quod accipiunt animam mortalem, aut vniuersam, aut saltim, quę perfectorum animaliū est, indiuiduam esse. Quod sic demonstrari potest. Quæque forma, quæ in materia consistit, ex accidenti mouetur. Quemadmodum 8. de Phis. auditu, monet Arist. Caduca autem anima in materia forma est, ex accidenti igitur mouetur. Immo de his animabus Arist. loquens, dicit eas ex accidēti moueri, vtpote ad animalium motionem. Quarè si vnaquæque forma, quæ in materia est, per accidens mouetur. Diuidua igitur per accidens erit; Nam quod mouetur diuiduum necessario est, iuxta Arist. 6. Phis. quod igitur ex accidenti mouetur, ex accidenti diuiduum. Nā quando ad antecedens sequitur consequens necessario idem si vtrique addatur, semper sequitur idem, vt ex prioribus Analiticis patet. Omnis igitur anima caduca diuidua ex accidenti erit. Adhuc omnis forma quæ in subiecto diuiduo recepta est, illius diuisione partit, & diuidua fit, quemadmodum primo de substantia orbis docet Auerroes. At qui omnis forma, quę in materia consistit, in subiecto magnitudine affecto suscipitur: cum materia à dimensione separari nunquam secundum Auerr. possit. Sub iecti igitur diuisione omnis forma, quæ in materia

consistit, partibilis fiet: quæ ratio ita confirmari potest. Omne quod in aliquo recipitur, per modum illius suscipitur, quemadmodum ex sexto Phis. ab Arist. constat. Sed forma materialis ita in subiecto magnitudine affecto suscipitur, merito igitur illius diuidua fit. Hæc quoque Arist. testimonio illustrari possunt, 8. enim de Phisico auditu, cum cœlestium, diuinorumque corporum animas in materia non consistere demonstrat, sed ab illa esse omnino liberas, Ita quemadmodum omnibus Latinis videtur, argumentatur. Nulla virtus in materia consistens, per tempus mouet infinitum, At Cœlestium animæ per tempus infinitum mouent, in materia, igitur non consistunt, sed ab illa separatæ sunt. Et priorem propositionem ita demonstrat, si enim virtus in magnitudine per tempus infinitum moueret, aut hęc ipsa virtus in magnitudine infinita, aut finita existit, atqui in magnitudine infinita persistere non potest: quoniam nulla est magnitudo infinita, (vt ex Phisicis constat) quarè in magnitudine consistit finita, At nulla talis per infinitum tempus mouet, quoniam hac virtute diuisa, in plures partes, earum quæque per minus tempus quàm totum mouet. Hęc igitur Arist. demõ accipit vniuersam formam in magnitudine permanentem, illius partitione esse diuiduam. Si enim indiuidua aliqua forma in materia foret, nonne statim Arist. demonstratio rueret? Nam quis, diceret, quòd & si virtus, in materia sit, diuidi tamen nequit, quare formę partem non licet accipere. Et paulo post dicit, in maiori magnitudine, maior est virtus, In minori vero minor, & sexto Phisicorum monuit, formam quę licet iuxta propriam naturam indiuidua sit, ob subiectum in quo recipitur diuidua fit, tria namque sunt inquit, quæ esse dicuntur mutatione, & quod mutatur, & in quo, & secundum quod mutaṫ, vt homo & tẽpus & album, homo igitur & tempus diuisibilia sunt, de albo autem alia ratio est. Verum secundum accidens quidem omnia diuisibilia sunt: cui enim accidit quale aut album, illud diuisibile est,

& primo de Cœlo, quando probat infinitum à finito pati non posse, vtitur hac argumentatione. Quod forma in materia illius diuisione partitur, & in tertio eiusdem operis, dicit, pasſiones autem omnes diuiſibiles dupliciter sunt, aut enim secundum ſpetiem, aut secundum accidens. Secundum ſpetiem quidem, veluti caloris album & nigrum. Secundum accidens autem, ſi id cui ineſt, diuiſibile ſit. Secundo etiam de anima in ſtirpibus & anuloſis animalibus aſſerit animam actu vnam eſſe, potentia vero plures, fit vero actu plures per diuiſionē ſi anima indiuidua (vt aiunt eſſet) partiri igitur in animalium & ſtirpium partibus, loco & ſubiecto ſecretis non poſſet, quod etiam in commentariis de iuuentute & ſenectute confirmat vbi manifeſte ſaltim dicit animalium imperfectorum animas diuiduas eſſe, quoniam ait actu vnam eſſe, potentia vero plures, & iccirco, per tempus aliquod viuere poſſunt. Sed plantæ diutius, immo interdum magis quam totum, quoniam in abſciſsis partibus ea ſunt, quę ad viuentis ſalutem conferunt, ſunt enim partes quibus alimentum attrahere poſſunt ex terra, cui infinguntur. At animalium partes, quoniam alimentum trahere non valent, carentque partibus illis, quibus alimentum trahitur, iccirco diutius viuere non poſſunt. At perfectorum animalium partes cum primum à toto ſeparatę ſunt emoriuntur quoniam eorum anima maxime vna eſt: non ita, quoniā indiuidua eſt, (vt quidā falsò interpretanť) ſed inquit quod cū primū diuidiť deleť aīa, quādoquidē partes mutuò maximā dependentiā habent, ob mutuā ergo quā habēt perfectorum animaliū partes dependentiā à toto ſeparatę viuere non poſſunt. Apertum itaque ex his ſatis conſtare arbtror vniuerſam formam in materia conſiſtentem diuiduam eſſe, nunc quartum eorum erratū manifeſtare ſupereſt: quod an ab Ariſt. diſſentiat, non eſt per difficile explicare: nam omne, quod perſe mouetur corpus eſt, vt ſexto Phiſi. conſtat: nullum enim indiuiduum, quemodmodum ſub finem illius libri Ariſt. demonſtrat moueri poteſt: At verò, quod perſe

augetur, per se mouetur, igitur hoc corpus est, vegetalis vero anima corpus non est, igitur incrementum suscipere nequit: si enim crescit & mouetur forma ex accidenti, vt 8. Phisi. docet, quare id, in quo est, quoniam per se accretionem suscipit, vtpote totum viuens, ideo anima crescit. Quarè cum hoc ipsum, vt ipsemet Grammaticus dicit, aliud non sit quam suæ partes, & materia variatur: igitur adhuc dubitatio cōtingit, id quod augetur idem numerò non permanere. Amplius si anima vegetalis esset, quæ per se accretionem susciperet; non igitur secundum tres modos causæ tantum anima viuentis corporis causa foret; vtpote etiam secundum materiam, quoniam accretionis subiectum est, non ergo recte Arist. dicit secundo de anima, secundum tres causę modos animam viuentis corporis esse causam, Demum, materia cum forma, fine, atq; cum ipso agente concurret in idem, non tantum spetie, sed numero. Nam iuxta hos anima vegetalis materia incrementi est, quæ quoque Arist. autore, finis forma, & agens est. Quod quantum ab Arist. dissentiat ipsimet, secundo de Phisi. auditu testantur, atque aduersus hos hæc satis sint dicta.

RECENTIORVM OPINIO Confutatur. Cap. 36.

NEque defuerunt posteriorum quidam, qui adeo insaniere, vt non erubescentes dicant figuram esse quę augeť, vt figura manus, quia permanet, materia autem non augetur, quia non permanet, quod a simili persuadent, est enim inquit Gal. propemodum similis materia lignea, Nauis argonautorum, cuius materia, & si longa nauigatione sensim fuerat resoluta, & ab artificibus refecta nihilominus semper fuit eadem Nauis, atque post tardum reditum figuram eandem trahit, non enim figura sed materia fuit mutata; pariter stirpes, & homines suscipiunt iustum incrementum, mutata duntaxat materia, non autem for-

ma, sint figura extensa in omnes dimensiones; Sed omnino vana est horum hominum sententia; Si namq; figura augetur, figura igitur erit accretionis subiectum, & incrementum susciperet, nã motio omnis in eo, vt in subiecto suscipitur, quod pati denominat, quemadmodum tertio Phisi. monet Aristoteles, & in quinto eiusdem operis; quando in termino motionis, motum, vt in subiecto suscipi nõ posse demostrat; quoniam moueri non dicitur. Quare cum figura pati incrementum dicatur, ipsa itaque erit, que accretionem suscipit, viuens igitur non erit quod perse augetur, sed figura, immo ex accidenti viuens cresceret, nam quod corpori conuenit ob aliquod illius accidens, perse conuenire non potest, sed ex accidenti; nam ea perse, & pręcipue in secundo modo rei conueniunt, que a propria illius causa, que ad eius naturam pertinet, fluunt, vt primo de demostratione constat. Figuram, iam omnibus constat, viuentis nõ esse formam, sed accidens, eius igitur beneficio accretio perse viuenti non conuenit, sed ex accidenti, ad hæc accidens accidenti subiectum esse nequit sicut 4. Meth. accidenti inquit non est accidenti accidens nisi quia vtrumq; eidem accidit, dico autem veluti album est musicum, & hoc album, quoniam vtrumque homini accidit. Figura vero vt ex prædicamentis patet, accidens est, incrementum igitur perse suscipere nequit, nisi ex accidenti, quia viuens in quo est perse incrementum suscipit Iam vero, si id quod perse mouetur corpus est, & quod perse augetur, perse mouetur, hoc itaque corpus erit. Figura igitur si accretionis perse subiectum est corpus erit. Subsidium vero quod quidam ferre possent, nullum est, videlicet quod figura augeri dicitur, non quoniam incrementum suscipit sed quia accretionis terminus est, nam motionis terminus prius non est, sed per motum esse suscipit, atqui figura, secundum eos, permanet, non igitur augeri dicitur, quoniam terminus accretionis. Amplius, quod in mutatione permanet subiectũ est, vt primo phisi. Arist. docet, quare, cum figura, vt ipsi sentiant, in accretio

ne permaneat, igitur incrementi materia, Demum, accretio motio continua quantitatis non esset, vt ipsi dicunt, sed qualitatis, nam vnaquaque mutatio, vt 3. & 5. Phisi. constat ex termino ad quem proficiscitur, suam trahit speciem, & naturam, Figura vero qualitas est motio igitur ad qualitatem accretio foret, Sed agemodo, alterum eorum erratum consideremus, nam figuram permanere, quamuis materia fluat affirmant, Si figura permanet, aut eadem secundum ęquiualentiam permanere dicitur, & ita dubitationem non tollant, quo videlicet pacto id quod augetur idem numero permaneat. Insuper, neque hoc asserere possunt, quoniam aiunt, quod materia fluit. Quare figura, & ita materia vna numero foret, quemadmodum figura, cum semper succedens priori ęquiualet, Quare dicitur, quod eadem numero pręcise atque simpliciter permanet, sed qui fieri posset, vt subiecto variato accidens permaneat, si esse accidentis est esse in subiecto? Ad hæc dicitur esse in subiecto, quod ita inest, quod cum illius pars non sit fieri non potest, vt separetur ab illo, quemadmodum in ante prædicamentis Philosophus monet, atqui accidens omne in subiecto est, ergo ita in eo est, quod cum illius pars non sit ab illo separari nequit, Figura itaque cum accidens sit a subiecto in quo est non separatur, quare illo mutato figura variatur. Demum figura è subiecto in subiectum migraret namq; prius in materia resoluta esse habebat, deinceps in alimentitiam materiam suscipitur, Accidens igitur è subiecto in subiectum migrabit; Non recte igitur dicitur, quod eadem numero figura permaneat, materia variata, atque mutata.

QVORVNDAM OPINIO ressellitur. Cap. 17.

NOnnulli vero alii aiunt neque formam, vtpote vegetalem animam absolutè augeri, & incrementum suscipere, neq; itidem figuram, sed formam figuratam, nempe

figura

figura dispositio est, vt forma incrementum suscipiat, Accretio enim in anima suscipi non posset nisi figura fuerit præaffecta, atq; hęc forma figurata fluxu materiæ nō fluit, sed eadem numero simpliciter permanet, sed hi a Ioanne Grammatico non dissentiunt, namq; Grammaticus inquit formam magnitudine affectam augeri & incrementum suscipere. Quare eodem modo arguendi sunt. Deinde, si augetur quod corpus est, forma figurata corpus non est, accretionis igitur non erit subiectum. Quare cum ab Aristotele, & ratione plurimum dissentiant, propriam afferre sententiam nunc iuuat.

OPINIO PROPRIA.
Cap. 38.

QVæ vt conspicua fiat, quædam prius vt basis, & fundamenta supponenda sunt, atque primum, in quo motio ab ortu, & interitu discrepat. Arist. in Phisi. & in primo de ortu, duas est inter ortum, & motum differentias largitus, & prima merito termini habetur. Nam motionis terminus, aut magnitudo, aut vbi, aut patibilis qualitas, seu passio est, ortus vero, qui simpliciter dicitur, ipsa substantia, altera quæ nunc nobis vsui est, ex ipso subiecto accepta est, ortus enim subiectum idem numero ante, & post mutationem non permanet, nam secundum formam variatur, quemadmodum si ex aere ignis generetur, subiecta materia secundum formam mutatur, namque prius sub aeris forma, completa vero generatione sub ignis forma apparet. Quare idem numero subiectum in generatione nō manet, sed secundum substantiam mutatur, at materia motioni subiecta, sub eadem numero forma ante, & post semper apparet, quemadmodum si ex albo in nigrum corpus mutetur, materia sub eadem numero forma permanet post alterationem, sub qua ante alterationem reperiebatur. Ita, cū accretio motus sit ante, & post accretionem, materiam sub eadem forma numero permanere necessum

M

est:hinc multorũ error perſpicuus fit, qui credunt id quod augetur idem numero, à principio ortus vſque ad vitæ finem permanere. Non enim ita ſubiectum affectum conquirit motio, ſed dum ſingularis motio fit, ante & poſt eodem modo ſubiectum ſe habere neceſſum eſt. Quare dum accretio ſingularis ſit, eius ſubiectum ſub eadem numero forma vt inueniatur oportet. Verum accretio viuentibus tributa duplex eſt, altera totalis, qua tota moles à natura viuenti definita acquiritur, quæ vnus motus non eſt, neque continua, vt poſtea demoſtrabimus. Hæc enim quemadmodum docet Auer. compoſita eſt ex multis motionibus, & quietibus. Quare cum vna motio, neq; continua ſit, non igitur eſt opus, vt ſub eadem numero forma, id quod augetur permaneat, nam ad motionem vnam ſecundum numerum eius quod mouẽ numeralis vnitas, termini, & temporis conquiritur, vt ex quinto Phi. conſtat, ſed ſi non vnus motus, ſed plures fuerit non eſt neceſſe. Quare, quamuis totalis accretionis ſubiectum ſecundum formam varietur, nam fluxu materiæ forma deletur, non tamen motionis tollitur natura. Quoniam vnus motus, & continuus hoc incrementum non eſt. Altera accretio partialis dicitur, vt ea qua magnitudinis partem viuens acquirit, vtpote, ſi ſecundum digitum creſcat in hora. Hæc continua eſt, atque vna motio, & dum hæc fit, idem numero ſubiectum permanet, namque facta alimenti in ſubſtantiam viuentis conuerſione mox natiuus calor in tempore, quod momẽtum ſequitur, quo facta eſt alimenti conuerſio, accretionem operatur, in toto illo tempore perſpicuum eſt, quod ſubiectum ſecundum formam non mutatur, ſed præciſe ſub eadem permanet forma, ſub qua antequam incrementum fieri incipiebat, poſt permanet, propterea quod natiuus calor, dum accretionem operatur, non diſſoluit, immo in maiori mole, quod antea deperditum eſt reſarcit, quare cum accretio, quæ vna numero, atque continua eſt fit idem numero ſubiectũ ſemper permanet, non tamen eſt neceſſe, vt ſi plures fiant

numero secretę accretiones, at idem permaneat subiectum At ea dubitatio se diluēda offert, an tempore quo incrementum operatur natiuus calor aliquid viuētis deperdat nos dicimus, toto eo tempore, quicquam viuentis non deperdi, nam tunc natiuus calor in proprium subiectum operatur, quando alimentitium sibi humidum deficit. Nam opus est vt pabuletur, cum alimentitio non ennutritur humido, ex accidenti in proprium operatur subiectum, nam perse in illud agere nequit, quoniam, in alterationis motu forma in proprium non agit subiectum, quemadmodum retro docuimus, at accretionis tempore alimentitius humor non deficit quinnimo exuperat. Quicquam igitur viuentis ab eo non resoluitur, toto igitur accretionis tempore idem numero simpliciter subiectum permanet. Iam vero si accretio verus motus est, ea igitur quae cęteris motionibus, quatenus motiones sunt, conueniunt, ei competere oportet, At cunctis motionibus vt idem numero simpliciter permaneat, ita vt nullopacto secundum substantiam mutetur, idem igitur in accretione inuenit, quare, dum accretio fit singularis, idem numero simpliciter subiectum permanet. Corruptionis igitur viuentis nihil natiuus calor, dum incrementum operatur, demolitur, Et iccirco Alexander & Auerro. arguendi sunt, qui non omnino simpliciter idem secundum numerum permanere sunt opinati. Namque si in aliis motionibus secundum substantiam subiectum non variatur, ob id quoniam motus sunt; idem igitur numero subiectum secundū substantiam non variatum obtinebit accretio. Adhuc si non eodem modo incrementi subiectum vnum numero foret, vt reliquorum motuum huius discriminis Aristoteles meminisset alioquin in sufficientia nota arguendus foret. At huius differentia numquam legitur meminisse, sed eodem modo de incrementi subiecto esse statuit. Quare quod in caeteris motionibus est, in accretione idem reperiri opinatur Subiectū igitur accretionis idem numero permanet merito formae, ipsa enim est rebus causa per-

manentia, nam ob materiam potius res continuo mutatur nam cum sua natura, potentia formarum receptiua sit, cum sub vna forma manet, appetit ab illa spoliari, & aliã; vt oppositam suscipere. Quare quod augetur idem numero ratione materie nõ permanet, immo ob illam mutatur, quare neque ob materiam augetur, nam quemadmodum motus definitus rebus non propter materiam, sed ob formam conuenit, ob eam enim, & subiectum idem numero permanet, atque motio producitur, ita accretio viuentibus propria, non propter materiam eis competit, sed propter formam. Ipsa enim est quæ accretionem operatur, & idem numero permanere facit, & ideo perbelle Aristo. mensurę formam assimilat, nam quemadmodum mensura, ei cui accidit causa est, vt permaneat, mẽsurari vero ratio, causa est, vt cui accidit aliud continuo fiat, ita ei quod augetur forma causa est vt permaneat, materia vero mensurato persimilis est, namque continuo de se alia atque alia est, cum alias, & diuersas possit suscipere formas, quibus alia semper fit. Quare, & id quod augetur ob materiam aliud fit. Accretio igitur non propter materiam, sed ob formam viuentibus compètit, viuens igitur, & singula eius partes secundum formam augentur. Apertum itaque est quando idem numero subiectum in accretione permaneat, At nunc quomodo in decretione res se habeat explicandum est. Quidam aiunt, quod secundum æquiualentiam idem permaneat subiectum: alii vero ob eam à principio generationis partem contractam, hæc enim vsq; quo vita durat, manet, sed hi eodem veniunt increpandi modo quo qui idem de accretione affirmant; At recentiorum sententia satis stolida est, asserentium quod simpliciter, proinde idem numero permanet, quod iam prius substantiæ portio deperditur mox autẽ in tempore quod consequit, magnitudinẽ tollit. Quare dũ decretio fit, quę nõ nisi magnitudinis deperditio est, sub eadẽ forma numero permanet, sub qua antea erat. Hi enim aperta mendatia dicunt, nam illud sequeretur absurdum, quod accidens sine subie

cto consistere posset, nam si prius substantia deperditur & remanet magnitudo, an in aliquo subiecto sit inquirimus, si in residuo subiecto cõtrahi dicãt, migrabit igit̃ de subiecto in subiectũ, & accidẽs a subiecto in quo est separari posset, si vero nõ, igitur magnitudo illa existit sine subiecto quare accidens sine substãtia existere posset. Alio igit̃ modo res aperienda erit, & vt res perspicua reddat̃, id supponere opperat, quod ea substantiæ deperditio, quam calor naturalis operatur, cum sibi alimentum deficit, ante imbecillis est, & si simul magnitudinis portio deperdatur decrementum non est, quoniam decrementum est motus, quare quæ motioni cõueniunt, vt obtineat oportet, at motionis idem secundum numerum, & non secundum substantiam subiectum variatum habet. Ea igitur mutatio non erit decrementum, sed partis viuentis interitus, At bene hunc interitum decretio consequitur, nam cum alimentum accedit, si calor innatus non tantum in substantia vertit, ob eius imbecillitatem, quantum fuerit deperditum, hæc ipsa motio, cum ad magnitudinem terminetur nulla alia esse videtur nisi decrementum, At constat in hac ipsa motione subiectum secundum substantiam non esse variatũ, quando calor naturalis in alimentum operatur, & non in proprium humidum, veluti retro monuimus, quando de accretione disseruimus, quę res ex Aristot. haberi potest in primo de ortu, vbi hæc habet. Si autem amplius facere nõ potest, sed vt aqua vino, semper amplius mixta in fine aquati cum facit, & aquam, tunc diminutionẽ facit quanti Quare opinatur Aristo. quod sit decrementum, quando naturalis calor ob continuam in alimentum actionem, debilis factus est, quoniam non potest plus adiicere, quàm fuerit deperditum, quod decrementum operatur quemadmodum aquæ, & vino exemplo ostendit, nam cum per continuam aquæ cum vino permixtionem, vini virtus imbecillis facta est, amplius aquam in sui non vertit naturam, & proinde decrescit. Idem in vera decretione erit iudicium, quando enim calor minus resarcit quam fuerit

deperditum, magnitudinis diminutionem facit. Ita enim si decretio fiat eius quod decrescit species manebit, quemadmodum Aristo. ibi monet, inquiens, species vero manet nunc tertia difficultas tollenda est.

OPINIO AVERROIS QVOD ACCRETIO MOMENTO FIAT. Cap. 39.

AT in postrema dubitationis solutione, neque vniformes Peripathetici sunt. Auer. quem Latini omnes perdite sectantur, opinatus fuit. Accretionem, neque continuam esse, neque in tempore fieri, sed momento, atque esse motionem interpollatam, nempè alimentum, cum in exiguas partes diuisum est, & meatus membrorum subingreditur, à virtute membri momento in substantiam membri conuertitur, eodemq; nunc maioris magnitudinis acquisitio habetur: quam rem ex tribus persuadet, Accretio absque nutritione non fit, sed hæc repente fit. Quare & accretio, Fit enim nutritio per minima, at minimi acquisitio fit repente, & nunc alteri nunc neque continuum, neque contiguum esse potest. Ergo inter acquisitionem duorum minimorum tempus cadit intermedium. Accretio igitur, neque continua motio est, neque tempore fit, sed momento. Secunda ratio. Si tempore accretio fieret, igitur temporis parti magnitudinis acquisitæ pars responderet, quod fieri nequit. Nam si aliquod viuens in anno per digitum crescat, magnitudo hæc acquisita cuilibet temporis parti respondere non potest, quoniam in parum ita sensibilem, quæ tempori ex proportione respondeat, diuidi nequit, Atque hæ rationes ab Auer. habentur, cum tertio, tum octauo de Phisi. auditu. Tertia ratio qua ex sexto Phisi. haberi potest. Finis mutationis repente fit, accretio vero alitionis terminus est, ergo momento fit, sed dubium habet hæc opinio, namque Aristo. sexto Phisi. de omni motu verba faciens, asseruit in tempore fieri. Accretio vero motus est, quare in tempore, & non repente

fit. Latini ab Auer. non recedentes, soluunt eorum quidam, atque asserunt, quod & si motus, ea ratione qua motus, tempore fiat, si tamen, ea ratione qua talis motus est, spectetur, momento fieri potest. Quandoquidem, quippiã alicui competere potest sub ratione generis, quod si sub propria ratione spectetur eidem repugnabit, quemadmodũ de Talpa dicunt, ita accretio, quamuis ea ratione qua est motio, tempore fit, ratione tamen qua accretio est, repente completur. Alii vero aliter soluunt accretionem per se, & iuxta propriam naturam, tempore perfici, sed ex accidenti, momento, ob nutritionem, cui motio hæc est coniuncta.

CONFVTATVR OPINIO Auerrois & Latinorum. Cap. 40.

AT horum hominum sententia rationi, & Aristoteli pugnat; Si accretio repente fieret, ergo aliquid esset auctum absque eo quod prius augeretur & ita aliquid mutatum esset quod prius non mutaretur. Quæ ratio ex Aristotelis rõne confirmari põt in sexto Phi qua extendit motũ ex indiuiduis non cõponi, ad hoc deducit incõmodũ, vt idem simul esset motum, & moueretur, quoniam ante motum esse, moueri præcedit. Quare si accretio momento fieret, ergo simul idem esset auctum & augeretur, nam cum momento auctum sit, si eo momẽto augeretur, ergo simul augeretur, & esset auctum, quare simul moueretur, & esset ad quod mouetur. Si nõ eo momento augetur ergo prius, sed prius tempus indicare in Phisi. Arist. docet, tempore igitur accretio fit. Ad hæc accretio est verus motus, ergo est inter contraria, sed vbi contrarietas ibi pugna, & vbi hæc est, est resistentia, quare successio & tempus. Deinde, vt demostratione Aristotelis in sexto Phisi. vtamur omne quod mouetur tardius, & velocius moueri contingit, sed quod augetur, dum augetur mouetur, ergo quod augetur, dum augetur tardius, & velocius contingit moueri,

Quare si repente fieret accretio, momentum esset diuiduum, nam sit id quod augetur A. quod in C. momento augeatur cum hæc contingat velocius, augeri, ergo in minori, quam nunc, quare nunc diuiduum esset. Iam vero, si aliquid repente cresceret, ergo hoc idem repente ab accretione quiesceret. Omni enim motui quies contraria est, vt ex quinto Phi. constat, sed quod quiescit in tempore quiescit ergo quod crescit in tempore crescit. Demum, si momento aliquid cresceret, ergo momentũ prius, & posterius haberet, nam id moueri dicitur, quod aliter se habet modo quam prius, sed quod augetur, mouetur, ergo in eo nunc quod augetur, aliter se haberet, quàm prius, Nunc igitur prius, & posterius haberet, & hæc est Aristotelis demostratio in eodem sexto qua ostendit quietem tempore fieri. Hoc idem Arist. testimonio illustrari
6 potest, qui tertio de Phi. auditu, definiens motum, inquit actum mobilis quatenus mobile esse, quæ ratio etiam incremento accommodatur, vt constat, si modo accretio repente fieret, non ergo esset actus entis in potentia, quatenus in potentia, sed entis in actu, namque definitionis sensus est, vt Græci omnes, & ipsemet Auer. testantur, est quod motus, cum in mobili est, adhuc mobile potestate est ad complementum motus. Si modo hęc motio repente fieret, ergo simul esset motus, & complementum motus, quare mobile non esset amplius in potentia, 4. etiam Phi.
97 cum de tempore agit, inquit quod cum dicitur esse aliquid motus, vtpote mensura motus, ibi accipitur motus, vt idẽ est quod mutatio. Quare cũ accretio nõ tantũ perse mutatio sit, sed perse motus tempore igitur metitur, &
129 eodem libro, ferè sub finem, ait omnẽ mutationem in tẽpore fieri, quoniam omnis mutatio prius, & posterius habet, & velox, & tardum habebit, quæ sine tempore esse nequeunt, & paulo post ostendit cuiusq; mutationis tempus esse mensuram, vt incrementi, & decrementi atque re-
131 liquarum 7. etiam Phisi. ostendit omnem motionem ha-
4 bere velox, & tardum quod in singulis motus spetiebus,

singillatim,

sigillatim, & seorsum ostendit,& pręcipuè de incremento, asseritque incrementum velox esse, quod in paruo tempore multum, tardum vero quod paucum in multo tempore. Ex his igitur satis constat Aristo. opinari accretionem non momento, sed tempore fieri, quemadmodum, etiam Simplicius cum in 4. tum in 6. & 7. Phisic. docet, atque hoc idem Theophrastum, Eudemum, & Alexandrū sententire testatur, quod vbique Them. & Ioan. Gramm. affirmant, Latinorum vero solutio neutra recta est, non prima, nam fieri nequit, vt prædicatum, quod rei conuenit sub ratione generis ei pugnet, quod eidem conuenit iuxta propriam naturam, nam quę rei propter genus conueniunt, per se conueniunt. Consimiliter quæ eidem iuxta propriam naturam, atque perse conueniunt, reique insunt, vt ex primo de demostratione constat. Quare contradictio de eodem simul vera esset. Quare incrementum, quod ratione qua motio est in tempore fit. Igitur ratione qua accretio momento fieri nequit. Deinde si accretio ea ratione qua motus tempore fieri potest, ergo si possibile hoc ponatur in actu non sequitur id quod fieri nequit, sed cum in actu ponitur tempore completur, & cum propria natura momento fiat simul igit tempore, & momento fieret. Quare simul tēpore, & non tēpore ex qua etiā ratione secundæ solutionis mendatiū deprehenditur, contra quam etiam ita instamus. Quod rei competit ob eius propriam naturam, oppositum neque perse, neque ex accidenti conuenire potest, nam quamprimum oppositum rei inest, id quod ad eius naturam pertineret, tolleret, nisi fateamur opposita, & cōtradicentia simul stare, at accretioni (vt aiunt) ex propria natura conuenit, vt tempore fiat, oppositum igitur ei ex accidenti competere nequit. Quod est non tempore fieri, sed momento. Ad idē, quod sua natura tale est, semper est tale, & cui cumq; confertur semper eandem retinebit naturam, ergo si incrementum secundum propriam naturam tempore fit. Ergo semper ita fit, siue nutritioni, siue alteri conferatur. Amplius ac-

cretio, quatenus accretio in viuentibus absque nutritione fieri nequit, sed ob nutritionem momento, & repente fit, ergo pripria natura repente fieret, & nõ tempore (vt ipsi monent) Demum, Deus & natura aliquid frustra egissent namque accretioni hanc potentiam tribuissent, quæ num quam exiit, neque exibit ad actum, quoniam accretio in viuentibus a nutritione nunquam separatur.

AVERROIS OPINIO DE NVTRItione & ortu. Cap. 41.

ACcretionem repente non fieri docuimus, nunc quo pacto res se habeat aperiendum est, Verum quoniam in viuentibus absque nutritione non fit accretio, proinde primum explicandum erit an momento, an tempore potius nutritio fiat. Latini omnes Auer. perdite sectantes, asseruere nutritionem momento fieri, quoniam quidam ortus nutritio est, atqui ortus omnis momento fit, quare, & nutritio. Verum asserunt generationem bifariam capi posse, & pro formæ acquisitione, seclusa alteratione, quo pacto repente fit, & accipi etiam potest, vt ipsam acquisitionem formę, atque alterationem includit. Atque ita, ob alterationem annexam, tempore metitur. Formæ acquisitionem repente fieri ex multis ostendunt; prima ratio quę Auerrois est sexto Phisi. ita se habet, cuiusq; mutationis terminus momento fit, ortus vero qui formę acquisitionem dicit, alterationis terminus est, quare repente fit. Rursus ea mutatio tempore completur, quę inter formas suscipientes magis, & minus constituta est, ortus vero inter formas substantię est, quę magis, & minus non suscipiunt, in tempore igitur ortus non completur. Postremo, ea mutatio tempore fit quę inter formas contrarias est, quo pacto generatio non se habet. Ex his igitur ortum repente fieri concludunt.

DE ACCRETIONE AVERROIS OPINIO reffellitur. Cap. 42.

SEd horum hominum sententia ab Aristo. & ab ipsa demum ratione recedit,& vt quæ sumus aduersus hos demostraturi pateant dicimus formæ acquisitionem non momento,sed tempore fieri. Et primum ex Arist. verbis,qui tertio Phisi. motum definiens, vt ab ipsa mutatione non separatur,asserit esse actum eius quod est in potentia quatenus in potentia. Quæ quidem ratio ortui, & interitui conuenit,vti Arist. ostendit; ex hoc ita instamus. Motus cum est imobili, quamuis mobilis sit actus, & perfectio, adhuc quod motum habet potestate est ad complementum motus,Definitur enim motus pro forma fluente,motus igitur succesionem includit, quare & tempus. Quæ ratio ex Auer.confirmari potest, qui ait ex motus definitione patere continuationem, & succesionem in motu,at sub ea ratione generatio inclusa est, alteratione seclusa. Ergo ortus seclusa alteratione succesionem, & tempus in se retinet. Quarto etiam Phisi. cum de tempore aggreditur disputationem, & demostrasset prius tempus non esse motum, sed aliquid motus, inquirit se non accipere 97 motũ, vt ab ipsa mutatione est separatus, sed vt idem est quod ipsa mutatio, quod ratione confirmari potest, nam illius motionis docet tempus esse mensuram,quę fuit tertio Phisi. difinita, sed motio ibi difinita non separatur à mutatione, ergo tempus cuiusq; mutationis est mensura cum generatio, seclusa alteratione mutatio sit, tempore igitur metitur. Eodem etiam libro inquit sine mutatione tempus non esse,neque vice versa, genaratio vero, vt alterationem secludit mutatio est. A tẽpore igitur absolui non potest. Deinde,docet tempus esse magis causam interitus quam ortus, vtramque igitur mutationem tempore compleri concedit, & paulo post demostrat omnem mutationem tempore fieri dicens. His autem sic a nobis ennar 129 ratis clarum est omnem mutationem,& omne quod mo

uetur in tempore moueri, atque statim rationem offert, quę ita componitur, vt Simplicius monet. Omne quod habet prius, & posterius est in tempore, omnis mutatio prius, & posterius habet, omnis igitur mutatio in tempore. Et quoniam euidentes non erant propositiones, vtramque confirmauit, minorem quidem sic, omne quod habet velotius, & tardius est in tempore, nam celerius dicitur, quod prius mutatur in illud ad quod est mutatio, tardius vero quod est posterius. Omnis vero mutatio celerius, & tardius habet, quare omnis in tempore completur, Maiorem ita ostendit prius enim & posterius dicuntur, secundum eam qua est ab ipso nunc distantia, prius enim est quod a præsenti nunc plus distat in præteritum, posterius autem positum est quod ei nunc propinquius, in futuro autem è contra prius quidem est quod est nunc propinquius, Posterius autem quod est remotius, prius igitur, & posterius quod sint habent ex ea quę est a nunc distantia, nunc vero est præteriti, & futuri terminus, In tempore igitur nunc est. Quare prius, & posterius ortus alteratione remota habet, quare prius & posterius, & tempus includit. Propę etiam finem eiusdem operis cuiusque mutationis tempus esse metrum ostendit, quibus etiam locis Simplicius, & Grammaticus confirmarunt, neque hi audiendi sunt, qui ob alterationem ortum in tempore fieri concedunt nam præter id quod Aristo. non faciunt satis, neque verum dicunt, nam quæ ex accidenti rei conueniunt a scientia secluduntur, vt 5. Phisi. & 6. diuinæ scientiæ monet Philosophus, at ex intento Aristo. ostendit, cuiusque mutationis esse mensuram tempus. Adhuc nugationem Arist. sæpe sępius committeret. Nam quorum seorsum alterationis, & ortus, & interitus meminit, si per alterationrm tempus, ortus, & interitus includunt. Demũ inquit quod omnis mutatio quatenus mutatio habet prius & posterius, vt 5. eiusdem operis indicat, constat modo generationem mutationem esse omni seclusa alteratione ergo tempore completur 5. etiam eiusdem operis,

ait mutationem omnem prius, & posterius habere, quẽadmodum ex mutationis nomine ostendit, at generatio etiam si alteratio secludatur, perse mutatio est igitũ habet prius, & posterius quare tempus, & 6. eiusdem quando probat motionem ex indiuiduis non constare ad illud deducit incommodum, quod idem simul esset motum & moueretur, ergo a pari si eodem temporis momento forma, acquiritur, & est acquisita, simul igitur res mutaretur, & esse mutata, & paulò post ait, quod omni mutatione data

16 põt velocior dari, Formæ autem acquisitio mutatio est, ergo velocior dari potest quacũque posita. Quare accipiatur vna generatio, quę vocetur. A. hæc momento fit, iuxta hos, accipiatur deinceps altera velocior, & fit. B. hæc igitur in minori quam momenro fit, ergo nunc diuiduum esset. Rursus, cum sophistarũ eodem opere soluit sophisma, quo generationem e medio tollebant ortũ tempore fieri clarissime habetur. Sophisma hoc erat, id quod oritur aut est in eo a quo, aut in eo in quod, aut in neutro, aut in vtroque non primum, quoniam generari non diceretur, neque secundum, esset enim genitum, neq; tertium, vt constat, neque itidem quartum, quoniam contradictio de eodem vera simul esset, nam quatenus est in eo a quo, non est, vt in eo in quod, est, quare simul esset, & non esset, soluẽs ait quod oritur, cum esse in eo in quod, tum in eo, a quo, nam secundum aliquas partes in eo a quo, secundum aliquas in eo quod. Concedit igitur solutio generationem successiuam esse. Septimo etiam eiusdem operis, cum prius ostendisset in latione, accretione, & alteratione esse

34 velox, & tardum, demum docet in ortu esse velox, & tardum, asseritq; ortum velocem esse, qui in minori tempore fit, tardum qui in maiori & constat iam, quod generatio accipitur, vt alterationem excludit, nam si velox & tardũ in generatione essent, propter alterationem, quorsum Arist. sermone distincto idem de generatione docuit. Sat enim ei fuisset dicere in generatione esse tardum per accidens, quoniam ob alterationem. Quod ex Arist. demostra

tum est, ratione nunc confirmandum est. Si generatio, vt formę acquisitionem tantum indicat, repente fieret, idem simul esset, & non esset, id quod consequitur vno supposito probatur, quod aliud est esse acquisitum formę, & aliud acquisitio formę, quod Arist. docet 6. Phisi. quod ratione etiam probatur quando enim forma est acquisita, est, quando acquiritur, non est, si ergo idem esset acquisitum esse formę, & acquisitio formę, ergo idem simul esset, & nō esset, aliud igitur est acquisitum esse formæ, & aliud acquisitio, ex hoc ita demostratio componatur, acquisitū esse formę repente fit, quoniam mutatum esse, fit momento, acquisitio igitur forma aut eodem momento habetur, quo forma est acquisita, aut alio, non eodem, quoniam tūc simul forma acquireretur, & esset acquisita, & ita idem simul esset & non esset. Si alio momento, cum inter duo nunc cadat tempus intermedium, ergo in toto tempore illo medio forma acquiritur. Solutio vero, quam quidam conantur afferre, satis inepta est, afferunt enim formę acquisitionem quę tempore fit, esse alterationem: hi enim apertissime errant, atque primum illud sequeretur absurdum, quod mutationis species non quattuor sed tres forent, nam acquisitio formę iuxta hos alteratio est, quę in genere qualitatis est, in substantia igitur non esset nisi acquisitum esse, & mutatum esse, non autem mutatio. Amplius cuiusque mutationis proprius terminus eiusdē naturę est, cum mutatione, ab ea secundum magis & minus differens, vt ex Phisicis constat. In generatione igitur duo erunt, suus terminus, qui est acquisitum esse formę, & acquisitio forma, quare cum acquisitum esse sit in genere substantię, ergo & acquisitio formæ. Postremo ortus, vt contra alias mutationes distinguitur, quęrimus an alterationem, in sui ratione includat, at alterationem in se retinere non est dicendum, vt ab aliis mutationibus seiungitur generatio. Nam ortus est in genere substantię, quare, & alteratio esset in genere substantię. Rursus nulla dispositio includitur, in ratione illius cuius est dispositio, sed al-

teratio, vt etiam ipsi testantur, prçuia est dispositio ad ortum, non ergo includitur in ratione ortus. Si vero asserunt alterationem non includi, vt generatio mutatio ab aliis distincta, quçrimus an generatio idem sit, aut quid diuersum a genito esse, si primũ ergo idẽ simul esset, & nõ esset, nam dum res generatur non est, vt vero genita est, est, si igitur quid diuersum est, ratio igitur prior demostrat nam genitum esse, fit momento, & repente, ergo generatio in tempore. Iam vero si generatio repente fieret, quippiam genitum esset, absque eo quod prius generaretur, id quod consequitur ex Aristo. ostenditur 6. Phisi. qui ait omne mutatum esse praecedere mutari quod est in eodem genere cum eo quod mutatum est, at quod genitum est, mutatum est, ergo ante genitum fuit generari, quod est in eodem genere, sed quod genitum est, momento genitum est, ergo generari quod est in eodem genere, tempore fit, Ex his itaque satis constat generationem, vt formç acquisitionem indicat, non repente, sed tempore fieri, quemadmodum etiam Simplicius monuit 8. de Phi. auditu in digressione 3. contra Grammaticum.

PROPRIA OPINIO.
Cap. 43.

OPinio itaque Arist. est, à quo Simplicius minime recedit, etiam vt formç acquisitionem indicat, tempore metiri, generans enim primo materiam disponit atq; praeparat, & momento, quo alteratio, atque dispositionis motio finitur, ortus forma initium est, & antiqua forma est corruptionis initium, ita quod toto tempore sequenti prioris forma interitus fit, ortus vero posterioris, quemadmodum ipsemet Auerr. in Phisi. docuit, cum inquit non cessant partes spermatis recedere, & partes hominis fieri, donec tota forma hominis perficiatur. Sed vt res de qua sermo fit elucescat magis, explicare iuuat, quç est in mutatione successionis causa, & quamuis in re hac varia

62

ſit Philoſophorum ſententia, ſingulas opiniones nos non referemus, cum de illis ſatis abunde in ſexto Phiſic. diſſeruimus. Verum prius quædam tanquam baſis accipienda erunt, atque primum quod mutationum aliæ veræ mutationes ſunt, aliæ vero non veræ, ſed æquiuocæ mutationes nuncupantur, At vera mutatio quæ ſit ex tertio Phi. haberi poteſt, vbi Philoſophus definiens motum, vt a mutatione non ſeparatur, dicitur quod eſt actus eius quod poteſtate eſt, quatenus poteſtate, quare id quod mutatur, dum mutatur eſt in potẽtia. Id igitur vere mutatur, quod cum eſt in eo, a quo, tum in eo, ad quod. Ex quibus conſtat, mutationes, quæ repente fiũt, veras mutationes non eſſe nuncupandas, nam non ſunt actus eius quod poteſtate eſt. Rurſus ſupponendum eſt in mutatione vera duplicem diuiſionem inueniri, altera quæ ſecundum magnitudinem, atque ſecundum vltima & extenſiua a Latinis nuncupatur, iuxta quam partitionem motus tantus, quantum eſt id quod mouetur, in quo motio ſuſcipitur. Eſt altera diuiſio quę ſecundum multitudinem, & ſecundum contraria, atque ſecundum ſucceſſionem vocatur, quoniam motus totus ſimul non fit, ſed per partem poſt partem, ergo in eo eſt diuiſio ſecundum ſucceſſionem, & multitudinem.

49 Prima diuiſio in motione, vt 6. Phi. monet Philoſophus, ex duplici cauſa interdum oritur, interdum ab vna, nempe motiones, quarum termini ſunt per ſe magnitudo, vt accretio, & latio, per se hac diuiſione diuiduæ ſunt, licet ſubiectum etiam concurrat, at illæ mutationes, quarum termini non magnitudines ſunt, vt interitus alteratio, non ſunt diuiduæ, niſi merito ſubiecti, in quo ſuſcipiuntur. Diuiſio igitur ſecundum magnitudinem, & à ſubiecto, & ab ipſo termino ortum trahit. Altera diuiſio, quæ ſecundum multitudinem, & ſucceſſionem dicitur, a duplici quoque cauſa oritur, quarum altera eſt per ſe, altera ex accidenti, cauſa per ſe eſt oppoſitio, quæ in omni mutatione eſt, nempe quod mutatur ex oppoſito in oppoſitum mutatur, & cum oppoſita ſimul ſtare nequeant alterum igitur alteri

ſuccedit.

succedit. Sed dubium est, nam ortus mutatio est, non tamē ex contrario in contrarium procedit, ergo in ea nulla est successio, substantia enim quæ ortus terminus est, contrario vacat. Sed hanc dubitationem nos 5. Phisi. euertimus, vbi longa oratione ostendimus substātiam, secundum formas contrarietatem habere, est enim contrarietas duplex quarum, altera vniuoca est, altera analogia quadam, & per posterius contrarietas nuncupatur. Prima oppositio est duarum formarum quæ se mutuo expellunt ex eodem subiecto quod secundum substantiam non variatur. Quæ solis accidentibus cōmunicata est, atque in motu reperitur, quoniam horū subiectū secundū substantiā non mutatur, altera vt quæ secundū analogiam dicitur oppositio duarū formarum est, quę ex eodem se expellunt subiecto, quod secundū substantiam mutať, & ob hanc particulam, à vera deficit contrarietate, & hæc inter formas substantiæ reperitur, namque formæ illæ substantiæ, quæ simul stare nequeunt, & ex eadem se expellunt materia contrarię sunt, & hæc ipsa contrarietas causa successionis in ortu & interitu. Atq; iuxta hanc contrarietatem Alexander formas substantiæ esse contrarias asseruit, nempe forma ignis & aquæ simul stare nequeunt, ergo opponuntur, vt decimo diuinorum Arist. monet, ergo aliqua oppositionis spetie, cum nihil in generè esse valeat, quin in aliqua illius spetie non sit. At secundum priuationem, & formam vel contradictoria opponi nequeunt, cum alterum harum oppositionum extremum non sit, ambę enim formæ sunt neq; etiam relatiuæ opponuntur, ergo contrariæ, cum alia oppositionis species non detur. Sed dubium est, Aristo. enim ait ortum, & interitum esse inter contradicentia, non ergo inter contraria. Sed hoc euertit Simplicius, asserens ortum non esse inter vere contradicentia, sed inter ea quæ apparent contradici, quoniam inter priuationem, & formam. Verū nomine priuationis duo possumus intelligere, aut eam quæ in subiecto formam connotat, aut eā quæ in subiecto nullam indicat formam, vt quæ pura est priuatio, veluti tene-

bra. At simplex ortus inter priuationem puram, & formam non est, quoniam vt ex primo de ortu patet, substantiæ generatio alterius est interitus. Quare forma aliqua expellitur, Hęc forma quæ abiicitur priuatio, & contrarium est, priuatio, vt formam priuat, quę in eadem materia est idonea suscipi, contrarium vero, quoniam cum aliquid fit, simul cum forma futura stare nequit, sed ab ea expellitur. Quare vt redeat sermo, causa per se successionis contrarietas mutationis est, altera vero causa, quę per accidens est, interdũ enim fit vt agens omnes partes patientis simul contangere nequeat, vt si patiens fuerit magnitudine amplum, aliquam partem primum tangit. Quare cum actio absque contactu fieri nequeat, vt ex commentaris de ortu patet. Igitur prius in vnam, quam in aliam agit partem. Et ita mutationis successiue causa erit. Mutationes vero non veræ, quamuis repente fieri valeant, quoniam contrarietate carent, quæ successionis per se causa est, tempore, tamen interdum compleri possunt. Lactis enim coagulatio tempore interdum fit, at quandoq; repente, nam quando agens omnes simul patientis partes non contangit, vt quando est magnitudine exiguum; patiens vero magnitudine amplum, prius eam agens patientis partem alterat, quam contangit. Deinceps reliquas, atq; ita successio causatur; quare in his non veris mutationibus cum contrarietas non sit, possunt repẽte fieri, & nõ tempore interdũ fiunt, vtpote, si coagulans omnes lactis patientis partes contangere potest, vt in minori copia lactis, vti dicebat Alexander, repente fit coagulatio. Si vero lac coagulans, magnitudine superarit, tempore completur coagulatio. Attamen ignorandum non est Simplicium asseruisse, has mutationes tempore fieri, verum in his tempus magis est contractum, & breue. Quare tactus, lactis concretio, aquę congelatio, & consimiles mutationes tempore fiunt, sed breui. Cum vero Aristoteles dicit, quandam alterationem totam simul fieri, non est intelligendum, inquit Simplicius, quod aliqua alteratio sit temporis expers, quoniam mutatio, ex

natura sua succesſioni ſemper eſt coniuncta, cum ſit ex quo dã, in quoddam, & hoc prius, hoc vero poſterius in ea ſit. Sed dicitur, quod tota ſimul ſit, quoniam ea ſit in toto ſubiecto ſimul, alterans enim non in quandam ſubiecti partem prius operatur, deinde in aliam, ſed ſimul, hoc eſt eodem tempore in totũ ſubiectum, omnes enim ſubiecti partes ſimul eodemque tempore alterantur. Quare opinatᷓ Simplicius ſuccesſionis cauſam naturam mutationis eſſe, vt terminorũ oppoſitionem, vti retro nos docuimus, Atq; hæc ex Simplicio habentur 8. de Phiſi. auditu tertia diſputatione contra Grammaticum. Generatio itaque cum vera ſit mutatio, omni ſecluſa alteratione, ſuccesſioni igitᷓ erit coniuncta. Sed ea dubitatio ſolutionẽ quærit, nam ſi ortum alteratio præcedit, ergo materia ſubiecta per aliquod tempus ſtaret, cum diſposſitionibus, atque qualitatibus, quæ formæ, quam habet, non conducunt. Sed ſoluitur, atque id ad quod deducit ratio, non ſolum abſurdum non eſſe opinamur, ſed ſumme neceſſariũ, opus enim eſt, vt quando forma eſt corrumpenda, vt toto eo tempore, quo à ſubiecto expellitur, ſimul cum diſpoſitionibus permaneat, quæ ad formam producendã conducunt. Quinimo hoc confiteri illos oportet, nam cum diſpoſitionum productio tempore fiat, toto igitur tempore, quo diſponitur ſubiectum, forma antiqua manet, quoniam momento, quæ alteratio terminatur, expellitur, ergo abſurdum non eſt, vt quando corrumpenda eſt forma, vt cum illis ſtet qualitatibus quæ formæ futuræ conducunt. Abſurdum vero eſt, vt ſub illis conſeruetur. Perſpicuum igitur eſt, quo pacto tempore ortus perficiatur. Nunc modus explicandus eſt quo alitio in tempore fiat. Sanguis enim cum per membra nutrienda diſtributus eſt, atque alteratus, diſpoſitusq; vt in membrum cõuertatur, eo nunc, quo alterationis motio finitur, exorditur nutritio, hoc eſt incipit conuerti ſanguis in membri ſubſtantiam, quæ quidem mutatio, certo tempore fit, non tamen ęquale ſemper tempus eſt, quoddã enim eſt maius quoddam, vero minus, quod quidem proſ

cificitur, aut ex debilitate, & fortitudine virtutis, aut ex maiori, seu minori copia alimenti quod conuertendum est nempe, si multum fuerit alimentū in maiori tempore conuertitur, at si exiguum in minori. Interdum vero non multum est alimentum, ob tamen virtutis debilitatem mutatur, quibus etiam patet, quo nam pacto accretio fiat, namq; facta alimenti conuersione in viuentis substātiam, momento, quo alitio terminatur, accretio exorditur, quæ certo tempore completur quod etiam omnibus accretionibus æquale non est, quoddam .n. maius, quoddam minus est, Si enim multum alimentum conuersum est, maiori accretio æget tempore, at si exiguum est quod mutatum est, eadem permanente virture, minori perficitur tempore, quēadmodum Aristo. 7. de Phisi. auditu docet, incrementum velox esse asserens, quod multum in pauco, tardum vero quod paucum in multo. In omnibus igitur accretionibus tempus vniforme non est.

34

SOLVTIO RATIONVM Auerrois. Cap. 44.

His itaque definitis Auerrois rationes soluendæ sunt, atque illas primo, quę genarationem repente fieri probantur, & vt prima solutio pateat. Sciēdum mutationis terminum duplicem esse, alter .n. internus est, qui mutatum esse ab Arist. nuncupatur, atque hic secundum Auer. 5. Phisi. non differt a mutatione, nisi secundum magis, & minus perfectum. Quare in eodem genere est cum ipsa mutatione Hic enim momento est id quod est, quemadmodum Arist. 6. de Phisi. auditu docet, alter vero terminus externus est, & in eodem genere cum mutatione non est, immo genere ab illa separatur, qui non repente, sed tempore fit. Si enim momento, hic terminus acquireretur, gressus igitur repente fieret, nam Arist. 8. de Phisi. auditu docet, non posse animaliū gressum fieri, sine alteratione, ergo est terminus eius, quare repente fieret. Generatio itaque terminus est, altera-

33

tionis, sed externus, cum in eodem genere cum alteratione non sit. Quare opus non est, vt repente fiat. Eadem etiam facilitate secunda soluitur, namque confitemur motum, immo mutationem vniuersam inter formas esse, quæ magis, & minus suscipiunt, sed hoc sano modo intelligendum est, nam aut formæ magis, & minus secundum gradum suscipiunt, vt quæ intenduntur, & remittuntur, inter quas formas accretio non est. Quare si inter has motus esset collocatus accretio non esset motus, neque itidem latio, sed sola alteratio motio esset. At non nullæ aliç formç magis & minus secundum perfectionem suscipiunt, Atque ita forma substantiæ magis, & minus suscipit, quemadmodum Arist. in prædicamentis docuit, quod prima substantia est magis substantia quam secunda, & species, quàm genus. Inter has itaq; formas, quç ita magis, & minus suscipiunt, vniuersa mutatio constituta est, propterea quod natura semper ab imperfecto ad perfectum procedit, quemadmodum 5. Phisi. Simplicius monuit. At nunc rationes illæ diluendç sunt, quç accretionem repente fieri persuadent, & quo ad primam spectat, accretio duplex est altera totalis, quç motio est, qua tota viuentis magnitudo acquiritur, & hçc continua non est, sed ex pluribus motionibus, atque quietibus conflata, quemadmodum etiam Auer. docuit altera vero particularis est, quç motio est, qua aliqua magnitudinis portio acquiritur, vt si viuens per digitalem crescat magnitudinem, hçc tempore fit, & vnaquçque pars magnitudinis acquisitç parti temporis respondet, nam si tota motio in toto tempore fit, ergo pars in parte temporis Verum cum quis hanc exiguam adipiscitur magnitudinem, non credendum est in toto anno accretionem hanc fieri, Sed in exiguo tempore, cuius partibus parte magnitudinis correspondere possunt. Soluitur altera, & primum negamus accretionem per minima fieri: fuit enim retro à nobis explicatum non esse meatus necessarios pro accretione. Quare non est necesse in minima partiri alimentum, sed hoc gratis Auer. faciamus, ab eo quçrimus quid per mini-

ma intelligat, Aut enim paruas, & exiguas partes, quoniam sanguis in quasdam prius portiones diuiditur, quæ mox per partes distribuuntur, & ita non sequitur, vt minimi acquisitio, repente fiat, sed tempore fieri potest, vt ipsemet Auer. in primo de ortu inquit, interdum enim concauitates maiori copia, interdũ minori sanguinis copia im plentur, ergo id quod conuertitur interdum sub maiori magnitudine, interdum sub minori est, at si quando sub maiori est eius conuersio momento fieret, cum sub minori est citius conuertitur, ergo minus quàm momento. Quare nunc diuiduum esset. Demum conuersio hęc mutatio est, ergo in ea est hoc prius, hoc vero posterius, quare tempus. Alimenti igitur partes intra meatus recepti tempore mutantur. Demum concedamus Auer. accretionem per minima quę vocant naturalia fieri, horum tamen conuersio mo mento minime fit, sed tempore. Sed hoc dubium est, namq; si minimi conuersio tempore fieret, minus igitur minimo daretur, Nam in toto tempore totum minimum mutatur, ergo in temporis parte pars minimi. Minimum igitur erit partibile. Sed hoc diluitur, si ad minimi rationem accedamus, minimum enim id non esse dicitur, quod repente acquiritur, sed sub quo ratio formę conseruari potest, ita quod sub illo conseruari valet, & sub maiori, sub minori autem non. Quare cum hoc minimum acquiritur sub minori fit, non tamen sub illo, sub quo fit, conseruari potest multa enim sub minima magnitudine produci queũt, sub qua tamen nequeunt conseruari: omnis enim naturę progressus ab imperfecto ad perfectum tendit. Quare minimum diuiduum est in partes inexistentes, hoc est quę seorsum existere nequeunt, sed simul cũ toto, in partes vero per se existentes minime partitur. Sed hoc dubitatione nõ caret, nam Philosophus 6. Phisi. monet, ad omnem partem formę posse motum terminari, cum ergo minimi mutatio successiua sit, terminetur motio ad partem minimi. ergo ea pars existit, at eo momento quo facta est, non deletur, alioquin idem simul esset, & non esset, quare per aliquod tem-

pus manebit. Forma igitur sub minori, quam sub minimo conseruabitur. Sed hanc ita euertimus dubitationem, & asserimus minimi mutationem esse succesioni coniunctã, at cum mutatur minimum, non potest motio ad omnem partem eius terminari, Arist. vero de rerum mutatione loquit, quę minime non sunt. In harum enim motione potest ad omnem partem terminari motio. Quandoquidẽ talium rerum portiones per se existere queunt.

SECVNDA DISPVTATIO DE rarefactione & condensatione Ammonii opinio. Cap. 1.

HVcusque quid accretio secundum tres mensuras, quæ corporis ingressu fit, cum viuentibus propria, tunc cęteris conueniens rebus sit, quo etiam pacto fiat, docuimus, nunc alterius accretionis natura, quę secundum tres mensuras, quoque fit, nullius corporis accessu, quę rarefactio vocitatur, explicanda succedit. Qua in re altercantur Peripatetici, quare vt consueta Philosopantium via progrediamur primum varias Philosophantium sententias referemus, mox quid ipsi sentimus, adiiciemus. Ex Peripateticis complures, quoniã ad raritatem motio rarefactio est, & condensatio ei opposita, ad densitatem, & motiones omnes ex terminis, atque finibus suam trahunt naturam, ideo raritatis, atque densitatis prius substantiam exponunt, mox quid motio ipsa sit, quæ ad hos finitur terminos, Opinantur itaq; raritatem, & densitatem esse qualitates, quæ ex primis genitæ productæque sunt. Quod ex Auer. confirmant 7. de 1 5 Phisi. auditu. Densitas enim & raritas inquit, secundum 1 1 verum sunt sequentes calidum & frigidum, & retro dixit corpora sensibilia, differre secundum rarum, & densum. At corporis sensibilis diferentię qualitates sunt, ergo opinatur rarum, & densum qualitates esse. Verum quoniam varia diuersaque sunt qualitatis genera, sub quo nam qua

litatis genere collocentur, inter se dissentiunt, Quidam sub secundam speciem has qualitates ennumerant, nam poten tiam, & impotentiam naturalem esse aiunt. Alii ad tertium qualitatis genus pertinere putant, vt ad passionem & patiblem qualitatem, quorum numero Ammonius, esse videtur, quemadmodum apud ipsum in cathegoriis, quando qualitatis caput interpretatur, legere est. Ex his iuxta hos, quid rarefactio, & constipatio sint, apertum fit, nempe motiones sunt ad qualitatem, nam vel ad potentiam naturalem vel ad patibiles qualitates, ob quas mutationes quantitas extenditur, raritate enim plus extensionis, & loci acquiritur, at densitate minus vtriusque.

PRIORIS OPINIONIS euersio. Cap. 2.

SEd horum hominum sententia vera non est, atque primum demostrabimus rarum, & densum, ad secundum qualitatis genus non pertinere. Si enim condensatio, & rarefactio essent ad potentiam naturalem motiones, ad substantiam mutationes forent. Potentia enim naturalis inquit Auer. 5. diuinorum per se substantia est, ex accidenti qualitas, ob dispositiones, videlicet, quas substantiæ forma supponit, quando operatur, quarum merito interdum cum difficultate, interdum cum agilitàte agit, & in 7. de Phisi. auditu, docet potentias animę, quę naturalis potentia sunt esse substantiam, & ideo ad eas non esse motum Arist. non demostrauit, quoniam 5. Phisi. ad substantiam motionem nullam esse explicatum fuit. Ad hæc, ad secundam qualitatis speciem non est alteratio, sed ad tertiam, vt 7. Phisico. Arist. docet. Hæc igitur motio alteratio non erit, quemadmodum ipsi aiunt. Deinde proprium æqualiter participatur, qualitas autem secundum quam est alteratio, æqualiter non participatur, Igitur si rarum, & densum, ad secundum qualitatis genus spectant, alterationis termini esse nequeunt. Amplius vt communi ratione, vtramque sententiam

19

20

19

tiam arguamus, transitus e minori magnitudine ad maiorem, & ex ampla ad exiguam alteratio non est, sed ad magnitudinem motio. At rarefactio quemadmodum in 4. de Phisi. auditu docet Aristo. è minori ad maiorem molem nullius corporis accessu motio est, constipatio vero è conuerso se habet. Igitur ad qualitatem motiones non sunt, sed ad magnitudinē. Rarum igitur, & densum nō ad raritatem, sed ad magnitudinem pertinebunt, Iam vero, si qualitates rarum & densum forent tangibiles, vt alii sentiunt, inter qualitates tangibiles Arist. numerasset, quod quidē minime fecisse videtur, nempe secundo de ortu, & interitu omnes ennumerans qualitates, tum primas, tum quæ ex primis prodeunt, quæ secundę vocantur. Consimiliter, & 5. meth. Numquā rari, & densi meminit. Opinatur igitur, hæc ad qualitatem non spectare. Deinde vt recentiorum rationibus vtamur, extensio, & tanta extensio in natura non dissentiunt, sed habitudine quadam, quemadmodum signatum, & non signatum, vt homo, & hic homo, consimiliter locum, & tantum locum occupare in natura non separātur. Si igitur tanta extensio atque tantus locus, per raritatem, & densitatem habentur, extensionem igitur, & loci occupationem per rarum, & densum magnitudo obtinebit. Rarum igitur, & densum ad magnitudinem spectant, alioquin magnitudo de se extensa nō foret, sed ob qualitatem, Ad idem, corpori, ob qualitatem neque locum neque tantum locum occupare competit, sed merito magnitudinis, vt 4. constat Phisi. sed per rarum, & densum locum & tantum locum corpora sortiuntur, hæc igitur non qualitates. demum illud contingeret absurdum pedale verbi gratia aeris non ita fore extensum, veluti terræ pedale, neque itidem hęc pedalia in magnitudine ęqualia forent, quoniam ęque tamē nō sunt, nempe aeris pedale rarius, at aquę pedale minus rarum existit, vt ex Aristotele primo Meteororum constat.

OPINIO SECVNDA. Cap. 3.

AT qui nonnulli rarum & densum magnitudinis extensiones esse opinantur, raritas enim maior est magnitudinis extensio, at densitas minor eiusdem magnitudinis extensio sed, vt horum perspicua reddatur opinio, putant magnitudinem actu non esse extensam, neque partem extra partem habere, sed potentia tantum, & actu hæc sortitur per extensionem aduenientem, quæ res ab ipsa magnitudine secernitur, non tamen qualitas est, sed modus magnitudini superadditus, qui & si in eodem genere directe, & per se cum magnitudine non collocetur, reducitur tamen ad idem genus quemadmodum (vt aiunt) essentia & esse in eodem genere sunt, nã alterũ per se, alterũ ex accidenti, atque reductiuè, magnitudinis itaq; extensio modus est magnitudinis, qui superueniens actu extensa fit, atq; actu partes extra partes magnitudo sortit, veluti.n. intẽsio se habet ad qualitatem, ita ad magnitudinẽ extensio, at intensio res nõ est intensa, sed modus rei, quę intenditur superadditus, quibus apertum fit, quid rarum sit, pariter, & quid densum, quoniam magnitudinis extensiones, maior enim magnitudinis extensio rarum, at minor extensio densum vocatur. Rarefactio igitur pręcise ad magnitudinem motus non est, sed ad magnitudinis modum, ita condensatio, quibus etiam constat, quomodo ab accretione, & decretione eiusmodi separantur motiones, nam accretione, non tantum extensio, sed magnitudo acquiritur, in decretione vero, & extensio, & magnitudo deperditur. At his motionibus nulla noua magnitudo acquiritur, sed antiqua existens magis vel minus extenditur. Et quoniam rei modus, secundum quãdam similitudinem qualitas dicitur, propterea quod res cuius est modus, denominatur qualis, dicuntur eiusmodi motiones ad qualitatem motus, & rarum, & densum consimiliter qualitates vocitantur.

PRIORIS OPINIONIS euersio. Cap. 4.

AT hi ab Arist. & ab ipsa ratione dissentiunt, ab Arist. quoniam ipse opinatur, rarum, & densum magnitudines 84esse, nam inquit 4. Phisi. consimilem esset rarefactionem motioni quę fit ex minus calido ad maius calidum item rarefactio ex minori magnitudines ad maiorem motus est, nullius corporis ingressu, Ergo quemadmodum minus calidum, & maius calidum motionis termini qualitates veræ sunt, ita maior, & minor moles, quę nullo corporis ingressu acquisita est, veræ magnitudo dicitur. Insuper terminus rarefactionis est maior magnitudo, vt ibi docet Arist. sed maior magnitudo, est magnitudo, terminus igitur huius motionis magnitudo est. Sed rarum huius motionis, puta rarefactionis terminus est, rarum igitur magnitudo est, dēsum minor magnitudo, quæ ob magnitudinis egressum minor non est facta, at minor, magnitudo est, ergo densum verę magnitudo est. Adhuc Philosophus definiens magnitudinem, & continuum, eo quod habet partes extra partes semper difinit, quemadmodum in Cathegoriis dicit, Continuum esse id cuius partes ad terminum communem copulantur, & 3. Phisi. atq; primo de Cœlo, continuum est quod est diuiduum in semper diuidua, & 5. diuinorū quantum inquit est, cuius quælibet pars est innata esse hoc aliquid, per partes igitur continuum ab Arist. semper definitur, at continui partes loco sunt separatæ, quemadmodū sexto Phisi. sic docet continuum enim habet hanc quidem aliam illam vero aliam partem, & diuiditur in sic diuersas, & loco separatas, partes igitur in continui ratione positæ loco secretæ sunt, actu igitur continuum quatenus continuum partes extra partes loco secretas habet. A semetipsis etiam dissentiunt cum extensionem magnitudinis intensioni formæ persimilem esse fatentur, sed formæ intensio est motus, qua formæ complementum acquiritur, namque de

finitur quod sit generatio plurium graduum formæ in eadem subiecti portione. Intensio itaque quę formæ gradus, qui forma est, terminatur, ita extensio amplioris magnitudinis ortus erit, Sed ampla magnitudo, magnitudo est, ergo extensio ad magnitudinem motus est. Amplius motus, & terminus motus, non differunt, nisi secundum magis, & minus perfectum, vt ex Phisi. constat. Igitur intensio formæ, & forma intensa re non differunt, sed secundum magis, & minus, ita extensio & magnitudo extensa. Denicp necessario consequitur iuxta horum principia nouam magnitudinem acquiri, nam veluti per intensionem gradus formæ, qui forma est acquiritur ita per extensionem noua magnitudo adipiscitur. Demum si magnitudo potentia extensa foret, & actu extensa sit, per aduenientem extensionem, magnitudo profectò materia, & subiectum esset, quod confiteri absurdum est, quoniam accidens acci-
34 denti non accidit 4. prima Philosophię, id quod consequitur ita ostenditur si magnitudo potentia est extensa, igitur extensio de eius potentia ad actum deducitur, quare magnitudo quæ potentia est, vt extendatur ad actum per extensionem ex ipsa productam deducitur, at quod in hunc modum se habet materia, & subiectum est, quemadmodum ex Phisicis constat, magnitudo igitur materia, & subiectum erit.

PROPRIA OPINIO
Cap. 5.

HActenus varias Philosophorum sententias ennarauimus, nũc quid Arist. nobis sentire videtur explicare iuuat vt a rari, & densi notione exordiamur: Rarum itacp & densum magnitudines quædam sunt, quod ex ipso Auerroe perspicuum fieri potest. Qui 4. Phisi. hęc verba habet, &
84 cum posuit has propositiones, & ē manifestũ quod rarum & densum sunt contraria in quantitate, nam translatio corporis, de raritate in densitatē est translatio de minori quan

titate in maiorem,& è conuerso. Sequitur ex hoc, vt mate
ria rari, & densi sit eadem, idem eodem loco sæpe repetit,
atque hoc idem Ioan. Grammaticus & Simplicius eodem
libro confirmant,quandoquidem,nihil aliud esse affirmant
rarefactionem,& constipationem, quam transitum è mino
ri magnitudine ad maiorem, & è contra à maiori ad mino-
rem. Rarum itaq; & densum magnitudines quædam exi-
stunt quod ex ipso Arist. accipiunt, quoniam Philoso-
phus inquit, vnam & eandem materiam esse rari & densi,
nam vna,& eadem materia est, quæ modo extenditur, &
sub maiori mole fit,& quæ sub minori mole. At non abso
lutæ magnitudines sunt, nam magnitudo eorum genus
est,quod in speties quibusdam differentiis contrahitur. Sūt
magnitudinis differentiæ amplū,& exiguū quēadmodum
Simplicius 4. Phi. docet, Operępretium est autem inquit
84 animaduertere, cum & magnitudinem velle esse aliquam
formam, & paruum,& magnum formales differentias ma
gnitudinis,nam hæc quoque formas complentes rationes
accedunt ad materiam. Rarum itaq; & densum, quamuis
magnitudines sint,his tamen differentiis secernunt. Quare
erit rarum ampla magnitudo,densum vero exigua magni
tudo, neque tamen omnis ampla, aut exigua magnitudo
rarum, & densum est, Nam Cœlestis corporis magnitudo
ampla & multa est, quę vero terrę exigua & parua, pro-
priè tamen eiusmodi magnitudines raræ,& densæ vocitari
non possunt,cum mutuo conferuntur,nam rarum,& den-
sum contraria sunt, at contraria, in vna numero materia
communicant, quare huiusmodi magnitudines si materia
non conueniant,non igitur rarę,& densæ vocitantur. Con
similiter Math. magnitudines, ea ratione qua amplæ vel
exiguę considerent,nō tamen ea ratione qua raræ, vel den
sę. Erit igitur rarum ampla magnitudo sensibilis corporis,
Inquit enim Simplicius 4. Phisi. sensibilem autem magni-
tudinem dixit materialem, vt eam distinguat quæ percipi
tur intelligentia, & mathematica, sensibilis enim & mate-
rialis ea est, quæ extenditur, & contrahitur, Quare rarum

ampla magnitudo est sensibilis corporis, neque sat est, sed quę in materia, cum exigua mole sibi contraria communi cant. Densum vero magnitudo exigua est sensibilis corpo ris, in materia cum ampla magnitudine sibi contraria com municans. Dicitur vero magnitudo ampla, vel parua sensi bilis corporis quoniam sensibilia corpora, difinitā molē se cundum exiguum, & amplum sibi definiunt, Quare secun dum rarum, & densum quemadmodum eodem libro do cet Simplicius, & hoc inferre voluit Auerroes 7. Phisico. quando sensibilia corpora secundum rarum, & densum se parari asseruit, quoniam secundum exiguam, & amplam magnitudinem, cum sibi difiniunt, merito proprię formæ, separantur. Et ideo moles ampla qua maior dari nō potest in corpore corruptibili, est illa ignis. Summam enim rari tatem sibi vendicat. Icci rco fit vt magnitudines mathema ticæ rarę, & densæ non dicantur, licet, vt ampla, vel exi gua spectari possint. Demum dicitur in materia communi cans, cum ampla, vel exigua magnitudine, quæ contraria est, nam cum rarum & densum contraria sint, & ea contra ria dicantur, quæ cum in materia communicent, Se ex illa mutuo expellunt, inde fit quod rarum, & densum, quæ in Cœlo sunt, aut rarum, & densum non dicantur, aut æqui uoce, quemadmodū sępe monet Auer. non enim pars rara quę in Cœlo est, interdum densa fieri potest, aut densa rara & ideo pars non lucida rara; densa vero lucida in Cœlisti bus nuncupatur. Quę planè confirmat Simplicius 2. Cœ lo, vbi hæc habet. Sic etiam in Cœlo spissum, si forte, & hic rarum sit, neq; oppugnant adinuicem, quia non sunt apta fieri in eodem subiecto, cum sint alterius naturę existentia, & eodem libro inquit, neque quod in Cœlo spissum ad id quod ibi rarum pugnat. Demum quoniam in materia ra rum, & densum communicant, iccirco, neque accessu, neq; cuiuspiam recessu raritas, & densitas fiunt, materia enim contrariorum, ad contrarium non ideo transmutatur, quo niam aliquam contrarii partem abiicit, & extrinsecus aliā assumit, quemadmodum materia ex calido in frigidum,

transſmutata, non expellendo aliqua partium calida, quæ ſunt in ea,& aſſumendo extrinſecus alia frigida, ſic mutatur ex calido in frigidum, adiectione implementoque a quodam eorum quæ extrinſecus accedunt, ſed vna, & eadem manens, tota per totum mutatur è calido in frigidū, & è contra a frigido in calidum. Similiter in albo & nigro & in reliquis contrariis, Eodem etiam modo, quando ex minus calido fieret magis calidum, non adiiciens aliquas partes frigidas, ſed aſſumens aliquas partes calidas ita intendit caliditatem. Sed rurſus materiæ mutatio fit ex potentia in actum, Quemadmodum igitur hęc ſe habet, ſic raritas,& denſitas ſe habebunt, nam ipſa materia, cum ſit potentia contraria, interdum quidem denſatur, interdum rareſcit, Quę perſpicua ex 4. Phiſi. cum ab Ariſto. tum à Them. Simplicio Auer. atque Gram. facta ſunt. Quid igitur rarum,& denſum ſint, ex his ſatis apertum eſt.

DVBITATIONVM SOlutio. Cap. 6.

SEd multa ſunt, quę his obſtare videntur, nam non magnitudines rarum, & denſum eſſe videntur Philoſophus enim in cathegoriis, ad poſitionem hęc ſpectare aſſeruit, Rarum enim & ſpiſſum, inquit, aſperum,& leue putabuntur quidem qualitatem ſignificare, ſed aliena putantur, eiuſmodi eſſe à diſpoſitione, quę circa qualitatem eſt quandam enim poſitionem magis videtur vtrumque partium ſignificare, ſpiſſum quidem eſt, eo quod partes ſibi ipſę propinquę ſint, Rarum vero, eo quod diſtent à ſe inuicē Auer. rurſus 7. Phiſi. qualitates calidum, & frigidum inſequentes ea fore cenſet, & 8. eiuſdem operis ad vbi ſpectare quoniam ſpiſſatio,& rarefactio lationes ſint At pugnantia hęc ex his quæ ab Auer. dicuntur ſedari poſſunt, rarum enim & denſum veræ magnitudines ſunt, quoniam contraria in quantitate ſunt. Iuxta vero veterum ſapientū ſententiam ad ſitum & ad vbi pertinere dicuntur, nempe eorum qui-

dam rarum id esse affirmarunt, cuius partes à se separatæ distant, & alterius generis corpus inter suas partes admittit, vt spongię punicesq́, quoniam in eorum meatibus corpus quoddam immitti potest. Ita vt inter rimas partium sit spissum vero, quoniam ita vicinę partes sunt, atque ad se inuicem strictę, vt inter eas nullum corpus possit incidere, atque id eo spissum vocatur, vt est ferrum, & adamas. Qui vero res generant, & corrumpunt, congregatione, & segregatione, ad vbi hæc spectare dicunt, quemadmodum 7. & 8. Phisi. monet Auer. Qualitates vero dicuntur, aut quoniam qualitates insequuntur, vt 7. Phisi. Auer. asserere visus est, raritas enim & densitas (inquit) sunt apud rerum qualitates sequentes calidum, & frigidum, Immo non dicit esse qualitates, sed dicit apud qualitates rerum, nam sequentes sunt calidum, & frigidum, alioquim quę sequuntur verba pugnantia essent, nam dicit, densitas enim nil aliud est nisi transmutatio alicuius ad minorem magnitudinem, & raritas ad maiorem. Quare hęc verba rarum, densum magnitudines esse ostendunt, & demum secundū veteres, quid hęc sint statim subiungit. Antiqui vero dicebant, quod densitas est constrictio paruorum corporum, & raritas expansio, & quod hæ duæ sunt causę generationis, & corruptionis cum generatio apud eos sit congregatio & segregatio, aut dicuntur qualitates (quemadmodum aliis placuit) analogia, & proportione, veluti retro à nobis explicatum est.

QVID RAREFACTIO ET Spissatio. Cap. 7.

EX his quoq; quid rarefactio, atque spissatio sint manifestum fieri potest, nempe rarefactio motus sensibilis corporis est ex minori magnitudine ad maiorem nullius corporis ingressu. Spissatio vero motus est è minori ad maiorem magnitudinem per nullius corporis ingressum, Quibus patet quomodo à vera accretione, & decretione differant,

rant, vera enim accretio cuiusdam magnitudinis accessu fit, decretio vero per eiusdem recessum. Atque hęc ipsa ab Arist. 4. Phisi. habentur, vbi hęc habentur. Quare etiam magnitudo, & paruitas sensibilis magnitudinis extenditur & si nihil assumpserit materia, sed quoniam est potestate ambobus. Et Simplicius, ita ergo etiam in paruitate, & magnitudine rei sensibilis non aliam assummens magnitudinem materia extenditur, vel ammittens contrahitur, vt dicũt qui causant inane, sed idẽ manens subiectum, quod erat maius potentia ex minori actu maius factum est. Ex quibus etiam constat, quod idem numero subiectum, & secundum substantiam nõ variatum esse debet id quod rarescit, & spissatur, nam motiones sunt, in quibus subiectum idem numero manet. Ideo si ex aqua aer generetur, quamuis maior oriatur magnitudo, rarefactio, acquisitio hæc amplioris magnitudinis non dicitur, quoniam subiectum non manet. Quemadmodum Arist. in primo de ortu docet, & nos priori disputatione monuimus. Constat deinde quo pacto rarefactio, & spissatio à raritate, atq; densitate separentur, quoniam secundum magis, & minus perfectum, quemadmodum motus & forma, quæ suum per motum suscipit complementum, Rarum enim formam dicit completam, absolutamque, consimiliter & densum. Demum quid ipsa extensio sit, quę nullius magnitudinis ingressu fit, constat, est enim è minori ad maiorem magnitudinem transitus. Quare illud corpus extenditur, quod ex exigua ad amplam molem, non per magnitudinis accessum, mutatur. Quę cum aperta sint modus quo rarefactio, & spissatio fiant explicandus est.

DVBIA QVAE SVPERIORIBVS dictis accidunt. Cap. 8.

AT multa sunt quę vrgent, & ambiguitatem pariunt, nam si aer per rarefactionem duplam magnitudinem acquisierit, aut ampla illa moles cum accidit, prior deletur,

aut simul noua,& antiqua permanent, quoniam indiuersa materia suscipi nequeunt, Est enim eorum,quæ rarescunt, & spissantur vna materia. At primum confitendum non est, quemadmodum postea docebimus, neque secundum concedi posse videtur:noua enim moles,aut in eadem cum antiqua magnitudine simul suscipitur, eadem igitur numero materia duabus numero magnitudinibus subiiceretur; se igitur in materia penetrabunt magnitudines. Neq; dicendum est antiquam magnitudinem materiæ partem derelinquere,& in hac nouam molem suscipi, magnitudo enim proprium subiectum derelinquere non potest, quoniam accidens è subiecto in subiectum non migrat, prius enim antiqua moles in tota materia erat, at nunc in parte materie est. Non igitur rarescentia nouam molem absque magnitudinis accessu acquiri posse videtur.

DE OPINIONE QVORVMdam. Cap. 9.

POrrò cum res maxime vrgeat,non consentientes Philosophi sunt, quidam itaq; aiunt, quod vbi aer ad duplum fiat, noua atque secunda magnitudo in alia non suscipitur materia, sed in ea in qua antiqua permanebat. Verum non in eadē præcise parte,sed in alia, vtpote in medietate. & cum dicitur priorem magnitudinem, proprium subiectum derelinquere,dicunt hanc ipsam materiā,quę nouam suscipit molem, nullam propriam magnitudinem habere, quare absurdum non est, si prior aliquam materie partem derelinquat. At horum opinio absurda est, accidens enim è subiecto in subiectum migraret,nempe prius in ea materiæ parte esse habebat,demum magnitudo non deleta,hāc partem derelinquens aliam subingreditur. Deinde si esse accidentis est esse in subiecto, fieri igitur nequit, quod ab ea materię parte,ipsa non deleta recedat. Sed cum primum recedit corrumpitur. Ad hæc materia,aut sine forma substantiæ esset,aut forma hæc, absque magnitudine & quali

tate consistere posset, quod quantum absurdum sit, ipse diiudicent, atque sic id quod consequitur, ostenditur, nempe materie portio, que nouam magnitudinem suscipit, aut formam habet aut nō, secundum concedi nequit, nam cum nullam habeat formam, materia igitur sine forma staret, si vero primum concedatur, aliud contingit absurdum, quoniam forma in materia sine magnitudine erit. Demum, cū prior magnitudo, se ad materię reliquas partes contrahat, omnes ille partes magnitudine affecte prius erunt, plures igitur magnitudines simul in eadem materia stabunt, quare se penetrabunt.

DE OPINIONE SCOTI. Cap. 10.

ALii vero quidam, quę recens fit, magnitudinem in eadem materia suscipi testantur, non tamen inferre licet, duabus magnitudinibus perfici materiam, non magnitudo eorum est, quæ homogenea sint, quę copulata vniuntur, quēmadmodum si duæ aquæ guttæ vniantur ex ambabus fit vna aqua, ita ex ambabus magnitudinibus vna fit magnitudo; Materia igitur vni tantum magnitudini subiicitur, Sed neque hi recte sentiunt, nam & si ex priori, & noua fit vna moles, veluti ex duabus guttis vna aqua, ergo quemadmodum partes istæ aquæ, quæ copulatę sunt proprios situs obtinent, & vna gutta extra alteram est, ita altera magnitudo extra alteram erit, & cum sine subiecto magnitudo non permaneat, prima magnitudo in altera materiæ portione erit, & recens quoque in alia, quare prior magnitudo, quæ prius, in tota erat materia, cum noua non succedat materia, illius partem deserit, in qua recens suscipitur, Quare si hæc dicant, quemadmodum priores arguendi veniunt. Demum, magnitudo intenderetur & magis, & minus susciperet, formę enim intensio generatio est (vti aiunt). eiusdem formæ plurium partium in eadem materiæ portione. Quare, cum plures magnitdinis partes in

eadem suscipiantur parte materiæ, Intendetur igitur magnitudo & magis suscipiet.

OPINIO TERTIA.
Cap. 11.

CAeterum nonnulli noua magnitudine aduenięte, priorem permanere, secundam vero in prime identitatem (vti aiunt) cędere opinantur, & ob hanc ipsam cęssionem prior perfectior euadit, quam ipsa erat ante talem cessionem. Quapropter prima, sic perfectior euasa, quoquomodo à se ipsa re secernitur, prius quam sic perfectior efficeretur. Quare à se ipsa secernitur, quemadmodum perfectum ab imperfecto, & continens à contento, & dicunt huius magnitudinis accretionem esse veluti nutritionem, alimentū enim in alitione in viuentis esse cædit; ipsumq; viuens post enutricationem quoquomodo aliud à se ipso factum est, quam erat ante enutritionem, & quemadmodum in ipsa ennutritione non est assignare discrimen inter præexistentem, & additam partem, ita in rarefactione discrimen nullum afferre possumus inter priorem, & aduenientem, sed totam vnum euasit, secundum esse tamen minus perfectum. At hi quoq; plurimum à veritate recedunt. Si enim adueniens magnitudo in prioris esse cæderet, non enim quando non est; nam quod non est, in alicuius esse cedere nequit, neque dum fit, quoniam res dum fit, non est modo id in alicuius esse cedit quod est, & suum esse in alterius esse cedit, neque quando est, quoniam nunquam esse à priori secretum habet. Recens igitur magnitudo in prioris esse cedere nequit. Adhuc magnitudo intenderetur, atq; magis, & minus susciperet, nam gradus priori adueniens in illius esse cedit, atq; vnus cum illo fit, & totum magis perfectum euasit, & ideo magis factum est, atque intensum dicitur. Ita cum recens magnitudo cum priori eadem euadat, & tota vna facta est, atque magis perfecta. Igitur intensa & magis fa¢ta est magnitudo.

OPINIO RECENTIORVM Cap. 12.

RECentiores nonnulli priorem magnitudinem omnino nouæ molis aduentu deleri imaginantur,& recens in materia suscepta sub maiori mole materiam facit, atque hoc ipsum ex operibus naturæ confirmant, in hominis enim ortu primo vegetalis anima producitur à virture semini inexistente, quæ anima sentiente adueniente, deletur, & virtute in sensitiua continetur. Natura enim de his quę fieri possunt,semper id quod melius est,facit,Quare cũ simul vegetatiuum, & sensitiuum stare nequeant, vegetatiuum cum sensitiuo aduenit, natura corrumpit, datq́ sensitiuo virtutem vegetatiue, nõ enim sensitiuum prius producit, quoniam opus naturę ordinem in se habet, & ideo ab imperfecto exorditur, & ad perfectum terminatur ita sentiẽs anima ad rationalem se habet, nam cum ratio aduenit sensus corrumpitur,in qua virtute vegetalis, & sentiens potestas continet. Natura itaq; ab imperfecto exordiẽs, cum ad perfectũ venit,imperfectũ corrumpit, quod in posteriori virtute cõtinet,& iccirco absurdũ non esse putant,si quippiã per nũc permaneat,quoniã hoc ipsum naturę operibus consentiens est.Hunc in modum noua magnitudo acquisitur,nam continua alio & alio temporis momento,alia omnino,& diuersa est,sed vana est horum homitum sententia & à ratione atque ab Aristo. dissentit. Si enim succedentes magnitudines,vt ipsi putant, momento tantum durarent, contradictio igitur de eodem simul vera esset,nam eo nũc, quo producta est magnitudo est, & cum eodem etiam sit corrupta,igitur non est.Eodem igitur temporis momento eadem magnitudo erit & non erit,& ideo 8. de Phisi.auditu, Philosophus nullam rem momento permanere posse testatur, sed quęque per tempus durat, & operatur, atque ratio ita corfirmari potest, nam cum aliud sit mutatum, aliud mutari,quare aliud est esse motum,aliud moueri,Ac

quiſito igitur maioris magnitudinis cum motus ſit, ab acquiſitio eſſe magnitudinis diuerſa erit. At acquiſita eſt momento, acquiſitio igitur tempore fit, quare eo momento quo acquiſitionis motus terminatur, erit magnitudo & non corrupta erit, alioquin ſimul fieret, & corrumperetur, nam corruptum eſſe, præcedit corrumpi, aliud enim eſt eſſe corruptum, aliud corrumpi, nam dum res corrumpit eſt, cũ vero corrupta eſt, non eſt. Quare ſi eo nunc deleta eſt magnitudo, cum eodem momento corrumpi nõ poſſit, igitur in tempore quod hoc momentum præcedit, delebitur. Sed eo tempore acquiritur & fit, ſimul igitur vna eademq́ res numero corrũperetur, & generaretur, & ita quippiam ſimul eſſet, & non eſſet, & duabus motionibus contrariis ſimul moueretur, quare totam Philoſophiã penitus euertunt, qui hęc proferunt, iccirco verum nõ eſt, quod ipſi tanquã manifeſtum accipiunt, in hominis productione cum vis ſenſitiua aduenit, vegetatiuum deleri, eadem enim ſequuntur abſurda, neque obſtat, ſi plures formę ſubſtantiæ, quarum altera alterius gratia eſt, & oppoſitionem inter ſe non habent, vt in eadem ſimul conſiſtent materia, quemadmodum vegetalis, & ſenſitiua ſe habeat, Ab Ariſto. etiam diſſentiunt. Qui 4. Phiſi. docet, quod cum ex maiori mole, minor fit, & è contra, nullius magnitudinis fit deperditio, ſed præcedens magnitudo remanet, & ei noua adiungitur, quemadmodum Them. monet. Ita cum materia (inquit) aut extenditur, aut contrahitur, neque veterem magnitudinem perdit, neq́ nouam acquirit, vt ſentiunt hi qui vacuum eius rei cauſam conſtituunt. Sed idem ſubiectum, eadem natura de amplo tumore in exiguum coercetur, & de exiguo in amplum expanditur atq́ hoc idem ſæpius eodem cap. repetit, quod quoque Simpli. & Ioan. Gram. confirmarunt, vt eorum legentibus commentaria perſpicuũ fit, quod huius etiam ſit opinionis Auerr. manifeſtum eſt, quandoquidem ipſe credit magnitudinem eſſe materię coęternam, & nũquam deleri, vel corrumpi, niſi ſecundum terminos.

OPINIO GRAECORVM Cap. 13.

AT ex Græcis nonnulli, nouam magnitudinem in rarefactione acquiri non alicuius magnitudinis ingressu putarunt, priori non corrupta, sed permanenti, cui copulata vna cum illa euadit, sed quo pacto hoc fieri posſit explicandum eſt. Demoſtratum enim eſt, vnam & eandem numero materiam eſſe contrariorum, puta calidi, & frigidi, ſimiliter ſicci, & humidi, & aliarum repugnantiarum, quæ mutatur ab altero in alterum. Propterea quod actu quidem ſemper ſit alterum contrariorum, poteſtate vero alterum; & ſubiecta quidem materia nunquam eſt ſeparata ab vno ex contrariis, propria autem eius conſideratione, & ratione, eſt alia ab eis, & numero manens eadē, ſuſcipit vtrumq; contrarium, quemadmodum ergo contrariorum, quę ſunt in qualitate, eadem eſt numero ſubiecta materia, vt pote calidi, & frigidi, albi & nigri, vel dulcis, & amari, ita eorum, quæ in quantitate ſunt, vt magni, & parui eadem numero eſt capax materia. Si enim aliquam quantumcunq; magnitudinem per ſe habuiſſet materia, nō ſuſcepiſſet contrariū, ei quod habet ſecundum naturam, quemadmodum, nec ſi ſecundum naturam fuiſſet alba, nigrū ſuſcipiſſet, quoniam autem ſicut aliis formis, ita etiam priuata eſt corpore, & magnitudine, & eas quę ſunt in magnitudine repugnātias eadem numero manens ſuſcipit. Magnitudo enim actu nulla in materia eſt, ſed potentia magnitudo, quemadmodum, & aliæ formæ materia eſt. Quo circa, vt res intelligatur, in materia iuxta hos, duo ſanè ſunt animaduertenda, primum quędam ad recipiendū aptitudo, deinde aptitudo vt in partes, quæ eandē habeant rationem cum toto diuidi posſit. Itaq; in materia poſt ſubſtantiæ rationem, primum ſi offert eius capacitas, qua cuiuſuis formæ materialis recipiendę fit capax, quę a potentia priora proficiſcuntur, eſt enim materia reciptrix omnium formarum, idq; ob ſuam

propensionem, at appetitionem, qua formas recipiendo perfici desiderat, & appetit, ea autem appetitio ex imperfe ctione ortum habet, nam quod summe perfectum est, non indiget extrinseco vt perficiatur. Igitur causa quare omnes formas possit recipere est eius imperfectio, quam natura sua sortita est, huic succedit ipsa diuisibilitas, quae nihil aliud est, quàm quaedam naturae aptitudo, qua in plures partes eiusdem rationis diuidi potest. Proinde materia, sua natura, duas obtinet aptitudines, alteram, quę formas appetit, vt perficiatur, & alteram diuisibilem, qua plures formas, ob suam ad eas propensionem recipere valet, Atque haec quantitas materialis, ab eis dicitur. Est quantitas formalis quae pro formarum varietate varios sortitur terminos, haec inter elementa maxime est in igne, & minima in terra. Ille enim habet formam, quę exigit materiam tenuissimam, quoniam calidi est rarefacere, cętera vero elemēta quo sunt crassiora, & grauiora, eo minus habēt tenuitatis. Forma ergo materialis materiam perficit, terminatq; dimēsiones, prout natura formę exposcit. Materia itaq; aptitudo est, qua diuiditur in partes. Cum ergo magnitudo accidit, materiae, quę potentia erat, vt in plures partiatur partes, actu plures consequitur partes, Materia quare, quę sub exigua magnitudine est, apta est, vt plures habeat partes. Cū itaq; agens rarefactione, magnitudinē nouā producit, nouas sortitur materia partes. Subiecta namq; materia potentia erat, vt alias partes, prętер eas quas obtinet habeat quando his itaque quae de nouo in materia fiunt partibus, noua suscipitur materia, quae prioribus coniunctae faciunt materiam magis extensam, Atque vt maiorem occupet locum: At neque horum sententia recta est. Magnitudo enim materiae coeterna est, & non fit, neq; deletur, alioquin (vt in propria disputatione docuimus) formae in materia consistentes, neq; per se neque ex accidenti diuiduae essent, & materia plures formas, neque simul neque successiue suscipere posset. Est enim materiae coaeterna, quoniam magnitudo non ea ratione, qua magnitudo, magnitudini opponitur,

tur, sed ob suas differentias, nam secundum exiguum & amplum, Et ideo non est opus, vt materia magnitudine spolietur, licet à suis differentiis, à quibus magnitudo non deleta spoliari potest, nam exiguum, & amplum, non sunt differentię constituentes, sed magnitudinem diuidentes, & iccirco ea sunt posteriores, & illis vicisim aboletis permanere magnitudo potest. Ab Arist. etiam dissentit, quemadmodum ex eius exemplis, quibus, vt rem manifestet, vtit, veluti paulo post docebimus.

ARISTOTELIS OPINIO Cap. 14.

ARistoteles itaque nouam magnitudinem, his motionibus acquiri, aut deperdi non opinatur. Quoniam magnitudo materię coęterna, & neque generari, neque corrumpi potest. Quare magnitudo nulla acquiritur, aut deperdit, sed tantum magnitudinis acquiritur & deperditur terminus. Sed qualis sit hic magnitudinis terminus non consentiunt inter se Peripathetici, quorũ opiniones, cum de trina dimensione disseruimus, ennarrauimus, & reiecimus, Nũc quid Arist. sentiat referemus. Hos itaque dicimus magnitudinis terminos eius esse differentias, quę exiguum, & amplum, seu magnum, & paruum sunt, nam magnitudinis termini sunt, penès quos magnitudinis variatio attenditur, Sed penès magnitudinis differentias tota magnitudinis attenditur. Differentiæ igitur magnitudinis sunt illius termini, at exiguum, & amplum formales magnitudinis differentię sunt, vt Simplicius 4. Phisi. docet. Termini igitur magnitudinis, secundum quos variatur, sunt amplum & exiguum. Atque hoc ex Auer. planum fieri potest qui 4. Phisi. quid rarefactio sit, exponens, dicit, transitum esse ex exigua ad amplam magnitudinem. Ex quibus quo pacto rarefactio & condensatio fiant perspicuum fit. Materia enim sub exigua magnitudine existens ad amplam mutatur, propter differentiæ aduentum, ita spissatio. Materia enim magnitudine, vtpote, ampla affecta mutatur in exi-

guam, ita quod prior terminus tantũ deletur, vt amplum, sicut in rarefactione exiguũ, Amplũ.n.&exiguũ non sunt magnitudines, sed differẽtiæ magnitudinis, quemadmodũ sensibile, & nõ sensibile non sunt viuens, sed differẽtiæ viuẽtis, ita amplũ & exiguũ nõ magnitudines, sed differentiæ magnitudinis quæ, ex exemplis, quibus Arist. vtitur 4. de Phisi. auditu plana fieri possunt, Atque primum est ex mutatione, quæ fit ex aqua in aerem, quò manifestum fit rarefactionem, & constipationem, neq; magnitudinis ingressu, neq; eiusdem recessu fieri, inquiens neque enim aliqua alia ingreditur materia, quando fit ex aere aqua. Si enim quæ tunc erat materia potestate erat aer quãdo ab eo, quod est potestate, mutatur in id quod actu est eadem numero manens, fit aer quæ prius erat aqua, & fit maius magnitudine, quod prius erat minus. Quæ igitur sub aqua actu erat materia minus erat, & maius facta est nullius magnitudinis ingressu, Neque enim amplius esset ipsa aer potestate, si facta esset alicuius admixtione. Similiter, si fiat aqua ex aere mutatur in minorem magnitudinem, & maior ex minori, nec ingrediẽte nec recedente aliquo, sed ipso aere denso, & subtili effecto, cum ea quæ in ipso est materia possit ambo, & ex eo quod est potentia mutetur in id quod actu est, & sic transeat à minori in maiorem, & à minori in maiorem. Consimiliter non ex eo quod caret magnitudine, mutatur: vel & contra: sed ex maiori in minorem: vel ex minori in maiorem, nec ingrediente, nec recedente materia aliqua mutatur. Deinceps alio exemplo ostendit antiquã magnitudinem non recedere, sed permanere & quod mutatio tantum fit secundum repugnantias magnitudinis. Simile enim esse inquit, ei quod est magis, & minus in qualitatibus, quemadmodum enim in his, ita etiam in eo quod est magis, & minus, mutatur idem subiectum; veluti enim ex calido frigidum, ex frigido calidum fit, eadem materia, quoniam vtrunque erat potestate, ita etiam ex calido magis calidum non enim sic mutatur, tanquam quædam quidem prius subiecti partes non essent calidę, nunc autem fa-

ctæ fuerunt calidæ, vtpote quod id quod fit minus calidũ, fit tale mixtione eorum, quę non sunt calida, etenim quando erat subiectum minus calidum tota materia erat huiusmodi, & quando magis calida facta est tota aucta est similiter. Si enim alia quidem eius fuerunt calida, quando erat minus calida, alia autem quando magis, non vtiq; eadem numero fit calidior, & minus calida, suscipiens id quod est magis, & minus, sed aliquod aliud calidum accidit, & admiscetur ei, quod prius erat, quemadmodum igitur. In his, ita etiam in corpore quod rarefit, & condensatur, & fit magis, & minus eadem est materia ambo suscipiens, & non aliquid extrinsecus ingrediens vel exiens, vt hi dicunt, qui inane introducunt, Hoc idem in figura ostendit, nam etsi sit qualitas, habet tamen magnam conuenientiam cum magnitudine. Si enim minoris circuli circunferrentia inflexa fuerit, ad minoris circuli constitutionem, non eo quod aliquæ partes circunferrentiæ, quæ non erant incuruæ, sed rectæ nunc curuatæ sint, cogitur in minorem circulum, sed quòd quæ erant minus incuruæ, magis incuruæ factę sunt. Etsi ergo dicatur eadem circunferrẽtia, quę prius quidem erat in curua, postea autem magis facta est, & si alia quidem illa, hæc vero alia, hoc clarum est non accessisse recto incuruitatem, sed quod erat minus incuruum euasisse, Quibus quidem perspicuum fit, neque nouam magnitudinem accedere, vel recedere in condensatione, vel rarefactione, quemadmodum Them. etiam monuit. Ita cum materia (inquit) aut extenditur aut contrahitur, neque veterem magnitudinem perdit, neque nouam acquirit, vt sentiunt ii qui vacuum eius rei causam constituunt, sed idem subiectum eadem natura de amplo tumore in exiguum coercetur, & de exiguo in amplum expanditur, quod etiã Simplicius, & Grammaticus confirmant, vt eorum commentaria legentibus patet. Huius etiam opinionis Auer. est, quandoquidem ipse opinatur, magnitudinem esse materię coæternam, & nunquam deleri, vel corrumpi nisi secundum terminos.

DVBIA QVAE HIS ACCIDVNT atque eorum solutio. Cap. 15.

SEd multa sunt, quę dubitationem partiunt nanque nouam magnitudinem acquiri videtur, nempe si in quadruplo aqua rare fiat, & prius vnius molis extiterit, nulli dubium magnitud inis terminos variari, qui in genere quantitatis sunt, nanq; prius vnius pedis, nunc quattuor pedum molem sortita est. Tres igitur magnitudinis pedes acquisiti sunt, & priori magnitudini superadditi, quare cum primū pedale magnitudo sit, quę igitur subsequūtur magnitudines quoque erunt. Insuper accipiatur viuens, vtpote planta quæ vnius pedis molem obtineat, atq; aer, qui eiusdem molis sit, augeatur planta corporis ingressu, aer vero rarefiat, quærimus an æqualem habeant molem, & profecto ęqualis magnitudinis sunt, quoniam ęqualem occupant locum, At plante per nouam magnitudinem maior euasit, aer igitur per nouam quoque magnitudinem sub maiori mole factus est, in rarefactione itaq; noua magnitudo acquisita est. Sed hæc euerti possunt, nam etsi tres magnitudinis pedes facti sint, nulla tamen noua magnitudo orta est, sed prior moles quæ potentia erat, per differentiæ aduentū maior facta est. Eadem quoq; facilitate secunda euertitur dubitatio. Etenim si ratio alicuius esset momenti, fieret vt aer, cum rarefactione maior factus est, vt nouę magnitudinis aduentu maior euadat, quemadmodum, & viuens. Quare etsi viuenti noua adueniat magnitudo illa tamen præexistebat, & quæ extrinsecus erat. Quare simpliciter, neque magnitudo facta est in viuente, sed quę extrinsecus erat viuentis magnitudini adiungitur. Quæ cum in hunc modum explicata sint superest modo rarefactionis & condensationis effectricem causam explicare.

DE CAVSA AGENTE HARVM motionum. Cap. 16.

RAREFACTIONIS,& constipationis effectrix causa simplex
non est,nempe rarefactio,& constipatio motionem aliquã
prius factam insequuntur,quemadmodum Ioan. Gramm.
primo de ortu monuit, interdum enim primorum qualita
tum , vtpote calidi & frigidi alterationem consequuntur.
Extendit enim calidum , frigidum vero constipat, quem-
admodum,dum calescit aer,semper rarescit aer,consimili-
ter;& aqua dum calefit,& causa est,quoniam caloris actio-
ne calidum oritur, at calidum non nisi in ampla magnitu-
dine,est innatum conseruari.Igitur dum calorem calor au-
get , magnitudinem elementis adiungit , post differentiæ
aduentum , constipatio vero interdum merito frigidi fit.
Frigidum enim dum algorem producit,exiguam quoque
facit magnitudinem . Nam si calidum amplum, frigidum
ergo exiguum exigit. Contrariæ enim causæ proprietates
oppositas sibi diffiniunt,& magnitudinis terminum deper
dit,vtpote amplum . Est etiam interdum aer aptus conden
sari,& in se ipsum considere, non solum ex frigiditate, sed
etiã ex impulsione,& compressionẽ, quod sic demostrauit
Arist. in Metheoris. in Aethiopia in æstate pluuie fieri
cernuntur , impulso enim vapore ex partibus septentrio-
nalibus,ab æthesiis ventis , & occurentes ad montes Ara-
biç maximos,& quod colliso semper ab alio superueniẽte
vapore,accidit ex cõpressione cõdẽsari,& in aquã mutari.
Videmus enim tempore ventorum Ethesiarum , in Ethio
pia maximas,torrentis instar,deferri pluuias,absque frigi-
ditate.Idem quoque in balneis fit , ascendens enim vapor,
perueniensq; ad tectum, cum non habeat exitum compigi
tur in se ipsum,& densatus, fit aqua,& sui innata grauitate
defertur. Vel autem compressione cõstipatur,ita,& tractu
rarefactus,contingit enim ex aliquo vasculo angustum ha
bẽte os,multum adnatum ad os aerem emungi, nullo alio

aere loco illius ingrediente, & manifestum est quod nec totus aer euacuatus est, nec pars vacua facta est. Hoc enim fieri nequit, derelictus enim aer rarefactus totum occupauit locum. Theophrastus (vt in primo Metheororũ Olympiodorus monet) aliam affert causam, vt antiparistrasim. idest à calore circunstantiam. Ecce in Thebaide, cum altissima atq; editissima loca extent, retroq; illa calore maximo tepeat, aquę tamen vis magna de Cœlo demittitur, proptetea, quod spiritus frigidus nubi inclusus à circumfuso calore circunuentus, coarctatur, atque in angustum impellitur. Verum enimuero non semper rarefactio, & constipatio secundum tres mensuras fiunt, nempe plumbum (vt in summa quarti Metheororum docet Auer.) ex ictu & percussione secundũ oẽm dimensionẽ mouetur, sed augetur secũdum longum, & latus secundum vero profundũ decrescit, hoc idem exemplis aliis docet vt de impressibili, scissibili, & truncabili. Interdum etiam, secundum vnam magnitudinem fit, vt secundum longum, vt quando corrigia rarefit, manifestum est secundum longum augeri, secundum reliquas dimensiones decrescit. Atq; hæc de accretione, quę secundum tres diametros fit, explicata sint.

DE SECVNDA ATQVE TERTIA accretionis spetie. Cap. 17.

Et secundam nunc accretionis spetiem percurrere iuuat, est enim alia accretionis species, quæ secundum duas mensuras fit, vt secundum latum, & profundum, non autẽ secundum longum, atq; hæc ipsa accretio viuentibus & non viuentibus communicata est. Verum prius de ea, quę viuentibus est attributa disputabimus. Viuentia enim cũ longitudinis terminum adepta sunt, mox secundum duas crescunt mensuras, vtpote secundum latum, & profundum atq; hoc ipsum tempore quo amplius secundum longum non fit auctio contingit, vniuersa ferè animalia ad ætatem illam macilenta, atq; sicca conspici, deinde valde pinguia

fieri videntur. Hæc.n.motio cũ ad magnitudinem termi-
nata sit accretio est, fitq; etiam aliquo deferis ingrediente.
Verum quoniam secundum longum non fit, à vera accre-
tione definit. Vocat enim Arist. veram accretionem, quæ
secundum tres fit mensuras, in qua longitudinis accretio
cernitur, absolute incrementum, & ideo dicit quousq; vi-
uũt animalia non augeri, negat ea, accretione vera augeri,
sed communis dubitatio solutionem quærit, viuentia cum
hunc in modum crescunt, plus deperditi resarciunt, cur
secundum longum non augentur. Huius dubii varia assi-
gnatur solutio. Afferunt nonnulli quoniam vera accretio
est secundum partes solidas, vtpote ossa, atque hæc ipsa au
gumentatio maxime attenditur secundum longitudinis
diametrum. Hęc enim membra ex duobus seminibus, vt
ex maris femellęq; semine conflata, extendi secundum lon-
gum non semper sunt apta. Natiuus enim calor continuo
agens, hæc ipsa membra exiccet cum crescunt amplius ex-
tendi non valent, & hoc ob solidorum membrorum aridi
tatem prouenit, iure secundum longum viuentia non am-
plius crescunt, possunt tãmen secundum duos diametros
augeri, quoniam eiusmodi accretio secundum carnem, &
pinguedinem attenditur, quę consistentiæ tempore, com-
mode gigni possunt. Hæc enim ex sanguine acquisito ori-
untur, inde fit vt caro deperdita instaurari possit. At os
& quoduis aliud solidum resarciri nequit, quoniam mate-
ria deficit, ex qua eorum quodq; gignitur, vtpote semen
maris, & femellæ, ex quo solida tantum membra reparari
possunt. At deperdita caro non tantum restaurari potest,
verum & plus quam in tempore veri incrementi, quoniam
calor ex sui ui nimium resoluebat. Quamquam enim po-
tens erat ad generandum multum sanguinem, potentius
ad resoluendum est paratum. Sed vana est horum solutio,
atq; primum ab Aristotele dissentit, qui primo, & secundo
de animalium generatione semen maris vt materiam con-
currere prorsus negauit. Solum enim id quod ex femella
oritur, membrorum sit materia, ex quo non tantum solida

membra, sed reliquas gigni testatur. Ad hæc radicalis humor, atque alimentius eandem habent naturam, quemadmodum ex priori disputatione constat, ergo quemadmodum solida membra ex seminali gignitur humore, ita ex alimentitio gigni possunt. Nonnulli vero alii ab his parum recedentes, accretionem secundum membra solida fieri testãtur. Hęc enim accretionis fundamentum sunt, & quandiu hęc membra plus nutrimenti assumere possunt quàm fuerit deperditum, tandiu augentur. Si vero oppositum eueniat, non amplius crescunt, hoc autem complere vtiq; ad consistentię tempus valent, tam ratione agentis, quàm ratione materiæ, quę obediens est, calor enim illius neque fuit ad agendum potens, atque ad tantum conuertendum alimentum, membrumq; ipsum solidum obediens fuit, quoniã illud pro amplioribus poris extendere potest, & extendendo facit maiora foramina vnde plus alimenti suscipere potest, at debili facto calore, & membro inepto ad tantam extensionem effecto: amplius tantum: vt prius mutare non potest, neque tantum snscipere, vnde ordinate vtrunque procedit: extensio videlicet & calor vsque ad mortem: nunquam enim calor adeo debilitatur: quod alimentum mutare non valeat, dum uita cõsistit, neque membrum adeo arescit, quin pori ex eo gigni non posfint, sed in cõnsistentiæ tempore minus quàm in adolescentia, & in senio multo minus, membra igitur solida iccirco secundum longum non crescunt. At reliqua membra quoniam magis sunt extensioni parata, & natiuus calor potens est illa extendere secundum latus & non secundum longum. Sed neque horum sententia recta est. Et primum quæsito minime faciunt satis, nam etsi calor potens ita non est, quẽadmodum dum adolescit viuens, tamen potens est, vt secundum latus, & profundum accretionem faciat. Quare cur secundum longum accretionem non faciat quęrimus, nam secundum latus, plusquam fuerit deperditum resarcir, Cur igitur potens est accretionem secundum duas mẽsuras facere, & non secundum longum, Deinde, quamuis

secundum

secundum longum, ob solida membra non crescat, secun-
dum reliquas partes crescere posset in longum, cum aptæ
sint extensioni, calor etiam potens sit. Neque obstat, cum
dicunt, quoniam secundum longum difficilius est membra
moueri, quàm secundum reliquas mensuras, quoniam lon-
gitudo secundum sursum, & deorsum accipitur, Quare
cum membrum sit à prædominio grauæ difficilius est ip-
sum sursum mouere, quàm secundum reliquas mensuras,
quoniam grauis motus sursum omnino violentus est; at se
cundum reliquas mensuras motio ita violenta non est.
Hoc enim non obstat, quoniam motiones secundum quas
membra, quæ viua sunt mouentur, ab anima eorum formę
prodeunt, quæ secundum omnes est apta mouere mensu-
ras, vti secundo de anima patet, Motiones igitur illę mem-
bro non violente, sed naturales sunt. Potest rursus eorum
sententia eisdem refelli rationibus, quibus priorem argui-
mus. Secus igitur dubium soluendum est. Vniuersa enim
viuentia quemadmodum retro monuimus definitum ma-
gnitudinis terminum sibi secundum longum definiunt, ad
hoc vt proprias possint perficere actiones, quem cum fue-
rint consequuta, vlterius secundum longum non progredi
tur accretio, In longum vero magnitudinis terminum ab
anima vegetali viuens sortitur. Natiuus igitur calor ani-
mæ instrumentum, cum magnitudinem, sub qua forma
conseruari potest, affecerit, amplius secundum longum ac-
cretionem non operatur, quoniam tunc ad sui, atque totius
interitum ageret. Nam sub ampliori longitudine non con
seruatur forma. Quare cum nihil se ipsum interimat, sed
se potius quatenus potest conseruet, iure igitur vlterius
viuentis longitudo non progreditur. Verum quoniã sępe
accidit, quod cum adoleuerit secundum longitudinem vi-
uens, non tantum natiuus calor est potens resarcire deper-
ditum, sed illud in maiori copia instaurare, & cum non
possit secundum longum, secundum reliquas mensuras
accretionem facit quoniam talium dimensionum termi-
num viuens adhuc non est adeptum, quoniam initio natu-

ra longitudinem pro actionibus perficiendis intendit, hæc ipſa quoque accretio terminum habet,& in infinitum non progreditur,quem cum fuerit adeptum, conſiſtentiæ tem pus ſuccedit,in quo pares in reſarciendo, atque diſſoluendo leges ſeruat,quo aboleto decretionem calor molitur, quoniã ſatis exiguus cum ſit,plus reſoluit,quàm reſarcit, & continuo debilior euadens ad interritum tendit. Neque tamen motio hæc viuenti violenta eſt, ſed naturalis, licet enim proxime a calore proueniat, qui ſua natura eſt ſurſum ferre,ea tamen operatur, vt animæ vegetalis inſtrumentum,quæ ſecundum omnes mouet differentias. Poſtrema vero accretionis ſpecies ſecundum longum tantum fit. Nonnulla enim corpora ſecundum longum tantum creſcere valent, atque hæc bifariam fieri poteſt. Interdum enim extrinſecus magnitudo accedit. interdum ſine magnitudinis ingreſſu,quemadmodum lapidum cumulus ſecundum longum tantum creſcere poteſt per lapidum conſimilium iuxta poſitionem. Conſimiliter cum corium extenditur ſecundum longum tantum creſcit, nullius magnitudinis ingreſſu. Atque hæc ipſa accretio rarefactionis poſtrema ſpecies eſt, quæ fieri nequit, niſi corpus, quod ſecundum longum creſcit. ſecundum reliquas menſuras decreſcit. Hæc quæ de accretione ex Peripatheticorum placitis in mediũ produximus, magnanime princeps, tibi recognoſcenda mittimus,quæ eo complectaris animo, quo ego ea tibi dedico, ſi non eruditione inſignia, grati tamen animi ſignificatione minime obſcura. Vale quàm feliciſsime.

Ex Academia Patauina.

FINIS.